

DE FINIBVS  
HVMANORVM  
ACTIVVM COM-  
MENTARIVS,

In c. Cum minister. 23. q. 5.

*Authore Martino ab Azpilcueta  
doctore Nauarro.*



L V G D V N I,  
APVD GVLIEL. ROVILLIVM,  
S V B S C V T O V E N E T O.  
—  
M. D. L X X I I.

Cum priuilegio summi Pontificis.





*DILECTO FILIO*

*M A R T I N O A B A Z-*  
*pilcueta, Nauarro Decre-*  
*torum doctori*

*P I V S P P . V.*

**I**L E C T E Fili, Salutem & Apo-  
 stolicam benedictionē. Dudum  
 à fr. recor. Paulo Papa III. pre-  
 decessore nostro emanarunt lite-  
 ræ tenoris subsequentis: Dilecto  
 filio Martino de Azpilcueta, decretorum Do-  
 CTORI, primariam cathedram iuris Canonici, in  
 vniuersitate studij Colim briensis actu regenti.  
 Paulus Papa III. Dilecte fili, Salutem & apo-  
 stolicam benedictionem. Cūm sicut nobis ex-  
 poni fecisti, tu vt aliis iuxta traditum tibi à Deo  
 talentum prodesse posles, nonnu: las lecturas su-  
 per voluminibus Decreti & Decretalium, non  
 sine maximis laboribus, & vigiliis, ad laudem  
 Diuini nominis, cuius ope literaria rei, & Chri-  
 stianæ reipub. consuluisse & profecisse credis,  
 scribendo, composueris & compilaueris, eásque  
 de proximo tuis propriis exp̄cis in lucem ede-  
 re, & imprimi facere intendas, pro parte tua no-  
 bis fuit humiliter supplicatum, vt tibi, quòd le-

A 2

Eturæ huiusmodi absque tuo consensu imprimi  
 non possint, vt tu tuarum vigiliarum effectu leti-  
 teris, concedere de benignitate Apostolica di-  
 gnaremur. Nos volentes te specialis gratiæ fa-  
 uore prosequi, huiusmodi supplicationibus in-  
 clinati, tibiique ad septennium à die quo tu lec-  
 turas prædictas imprimi feceris, computan-  
 dum, nullus alias per vniuersum orbem Chri-  
 stianum constitutus, lecturas ipsas, vel earum a-  
 liquam partem imprimere, aut imprimi facere,  
 vel impressas in sua domo, aut alibi habere &  
 tenere, nec illas vendere seu mutuò, aut ex do-  
 no, vel alias donare posse auctoritate Apostoli-  
 ca tenore præsentium de speciali gratia indul-  
 gemus, distictius inhibentes in virtute sanctæ  
 obedientiæ, & sub excommunicationis pena eo  
 ipso, si contrà factum fuerit incurrenda, omni-  
 bus & singulis cuiuscunque status, gradus, ordi-  
 nis & conditionis existentibus, & quavis etiam  
 Apostolica auctoritate, aut facultate fungenti-  
 bus, per vniuersum orbem constitutis, ne lectu-  
 ras huiusmodi vel earum aliquam partem absque  
 tuo expresso consensu & licentia lepténio pre-  
 dicto duntaxat durante imprimere, seu imprimi  
 facere, aut vendere, seu donare præsumant. Non  
 obstantibus constitutionibus & ordinationibus  
 Apostolicis, ac quarumcunque prouinciarum,  
 & locorum statutis, & consuetudinibus, etiam  
 iuramento confirmatione Apostolica, vel qua-  
 uis firmitate alia roboratis, necnon priuilegiis,  
 indultis, & literis apostolicis, quibusuis prouin-  
 ciis & illarū personis, ac vniuersitatibus & col-  
 legiis

legiis etiam per nos & sedem Apostolicam , sub  
quibuscumque tenoribus & formis, ac cum qui-  
busuis clausulis , & decretis etiam derogatoria-  
rum derogatoriis, & aliàs quomodolibet con-  
cessis, confirmatis , & etiam iteratis vicibus in-  
nouatis: quibus omnibus etiam si de illis eo-  
rūmque totis tenoribus specialis specifica ex-  
pressa, & individua, ac de verbo ad verbū , non  
autem per clausulas generales id importantes  
mentio, seu quævis alia expressio habenda, aut  
exquisita forma ad hoc seruanda foret , tenores  
huiusmodi, ac si de verbo ad verbum insereren-  
tur, præsentibus pro expressis , & de verbo ad  
verbum insertis habentes , illis aliàs in suo ro-  
bore permanensuris , hac vice dumtaxat speciali-  
ter & expressè derogamus , cæterisque contra-  
riis quibuscumque. Datum Romæ apud San-  
ctum Petrum sub annulo Piscatoris die viii.  
Ianuarij m. d. xxxxi. Pontificatus no-  
stri anno nono. L. De Torres.

Et deinde cum sicut nobis nuper exponi fe-  
cisti, tu qui sicut asseris, Rogeris à multis , vt ope-  
ratua, tam prius edita, quam nondum edita, que  
super iure Pontificio, & super pertinentibus ad  
declarationem illius habes composita, typis ex-  
cudi faceres, idque facere proponas, vita comi-  
te & Deo iuuante, impensis tuis & te præsente,  
quo correctiora, auctiora, & piétiora prodeant,  
Nobis humiliter supplicari fecisti, vt in præ-  
missis opportunè prouidere de benignitate A-  
postolica dignaremur: Nos te amplioris gratiae  
fauore prosequi volentes, huiusmodi supplica-

tionibus inclinati, A<sup>p</sup>ostolica auctoritate tenore præsentium declaramus, intentione nostram esse, ut dicti Pauli prædecessoris litteræ, quæ de lectoris loquuntur habeant etiam locum in aliis commentariis, libris, & tractatibus quæ tu edideris, super his quæ pertinent ad præfati iuris Pontificij declarationem. Non obstantibus omnibus supradictis, quæ idem Paulus prædecessor in dictis præinfertis litteris voluit non obstatere. Datum Romæ apud Sanctum Petrum sub annulo Piscatoris die **xviij. Maij. M. D.**  
**Lxxi.** Pontificatus nostri anno sexto.

*B. De Castro.*

P. Iarus.



ILL V S T R I S S I M O  
EX C E L L E N T I S S I M O Q V E  
D. D O N G A B R I E L I A C V E V A,  
Duci Alburquerque, Gubernatoriq;  
Mediolani &c. iustissimo pientissimoq;  
Principi,

M A R T I N V S A B A Z P I L -  
C V E T A D O C T O R N A -  
V A R R V S S. P. D.



I B E L L V M hūc, præ-  
cellens Princeps, excellen-  
tiæ tue dicare constitui, ut  
vel hoc signo exiguo insi-  
nuem maximam, qua in te,  
inque tuos omnes sum, sem-  
pérque fui obseruantiam & pietatem. Eo ma-  
xime, quod non solum Martius armis arma Christi  
miscentes & preferentes, nouissimis fortiter  
pro Christo, proque vestris Regibus in eorum re-  
belles in bellis pugnare, vincere, trophyaque re-  
ferre, sed etiam in pace Respub. ita Christianè mo-  
derari, ut prima, eademque summa sedes Apo-

A 4

*stolica semper & summè coleretur. In tuos, inquam, omnes, præsertim in illum Max. Duce m patrem tuum Beltrandum à Cœua, filium pri mogenitum alterius Beltrandi à Cœua, qui e gregia in suum Regem, à quo multi Principes defecerunt, fidem, insignique virtute militari Re gna Castelle suo Regi cum primis seruauit. In patrem, inquam, tuum, patruosque tuos, Pet rum à Cœua & Ludo. à Cœua, quorum ille summus Machinarum bellicarum Cæsar, hic summus militum prætorianorum eiusdem Præfectus fuit. Quorum fortia gesta toti sunt orbi nota. In amitas item tuas Illustrißimas, præser tim illam Donnam Maiorem, quæ nupta Illustrißimo Petro à Nauarra Marisco eiusdem Regni: fœliciter peperit alterum Illustrißimum Petru à Nauarra Marchionem Cortensem Sum munum omnium iudicio in bellis ducem, & in pa ce gubernatore. Quos omnes, ecclesiastico splen dore frater germanus eorum ille Illustrißimus Cardinalis Bartholomæus à Cœua exornauit. Cuius animi magnitudinem, & in rebus, cum priuatis, tum publicis gubernandis prudentiam & vigilantiam, ac in bene constitutis firmitatem & constantiam: inque suam opem implo rantes, præsertim nobiles & egenos, omnimo dam pro sua industria, & in Pontifices Ma ximos*

ximos & Reges Catholicos gratia: proque suis  
facultatibus beneficentiam, & eleemosynam,  
nemo non laudat in utraque Hesperia. Causa  
dedicandi prefatae accessit altera. Nempe ut  
epistolam apologeticam materiae libri affinem,  
quam dudum ad te scripsoram: quamque au-  
dio à nonnullis mendosè transcriptam, ei anne-  
derem correclam. Simul ut enarrem, non qui-  
dem tua fortia in Germania & Aphrica con-  
tra Christi hostes gesta, sed ut in utilitatem  
Christianam euulgem omnibus scripto, ut mul-  
tis euulgaui verbo, rationem illam arcanam, à  
circumstantia finis (quaë materia libri est) de-  
sumptam: quam mihi miranti, cur tantopere  
tua familia Christi & Ecclesie precepta ser-  
uabat olim aperiisti, videlicet, Quòd inserui-  
turos tibi preceperas, te non tantum gentili-  
tia & innata, sed etiam ascititia, eadémque re-  
ligiosa militia militem; oportere tua tuorumque  
militari virtute Christo Regique placeretus:  
idque fieri non posse ab eis, qui sitim, in diem,  
ieiunia, vigilia, & alios labores militares si-  
mul & ipsam mortem, cum ratio militaris id  
posceret, ferre non possent, neque ab his qui  
precepto, & imperio ducum promptè parere  
nescirent. Ideoque necessarium esse, ut qui tibi  
essent inseruituri, assuecerent Christi omnium

maximi ducis & Regis, Ecclesiæque sue imperio, præceptisque parere, ac consequenter ieiunia, vigilias & alia duriora, que Christiana virtus requirit, usque ad mortem ipsam ferre, Tantoque magis à te illos dilectum, estimatumque iri, quo magis nosceres eos Christo, Ecclesiæque audientiores. Quo factum fuit, ut nulla ratione etiam mea sententia iuridica persuadere potuisssem, cuidam tuo à pedibus deferenti ad me tuas litteras Pamphilona in domum natalem meam, plusquam terdecim milliaribus Italìs distantem, sub noctem unius diei quadraginta, ut cœnaret: immo nec mane insequens diei, ad te reuersurus, ut ientaret. Quo utinam exemplo omnes duces militares, omnesque patresfamilias moueremur, ad considerandum, & reputandum id, quod, Iob docente, omnes scimus. videlicet, Vitam nostram esse militiam super terram, & docente ipsomet Christo, Regnum cœlorum vim pati, violentosque rapturos illud: ad considerandum, inquam, hoc, eo hortandum nos primo, deinde nostros; ad abnegandum nosmetipos, id est, appetitus nostros Christi voluntati rebelles; & ad tollendas cruces nostras, id est, ad promptè subeunda illas, que noster vetus homo, siue carnis sensualitas, iudicat esse mala, nouus verò, qui secundum spiritum

*tum rectum est, bona, quò peccatis mortui, semper viuamus & moriamur Iesu Christo Domino nostro, qui te pientissime Princeps indies pieniorem, sibiique gratiorem vna cum dulcissimis conforte tua, donna Iohanna de Alhama, duce, Gubernatriceq; cum primis Christianissima, & mihi in Christo obseruandissima, efficiat, Amen.*  
*Rome.*

#### DE FIN



DE FINIBVS HV-  
MANORVM ACTVVM  
COMMENTARIVS,

In c. Cum minister. 23. q. 5.

*August. in Questionibus Exodi.*

Cum minister iudicis occidit eum, quem iudex iussit occidi: profectò si id sponte facit, homicida est: etiam si cum occidat, quem scit à judice debuisse occidi.

S V M M A R I V M.

Finium humanorum actuum cognitio, ad recte uiuendum,  
& exanimandam conscientiam necessaria. nu. 1.

Finis cuius malus, ipsum quoque malum. Et finis cuius bonus, ipsum quoque bonum. num. 1.

Gratianus aliqua tribuit utiliter Augustino contrarius  
Erafmo, qui multa ei damnose admitt. nu. 2.

Finis uerbum masculino & foemino genere profertur.  
num. 2.

Intentio est actus uoluntatis, & qualis. nu. 2.

Finis exactè diffinitur, & declaratur. num. 3.

Bonum duplex, uerum, & apparens. Idque triplex, honestum, delectabile, & utile. num. 3.

Verbum propter quatuor causas significat, efficientem, finalē &c. num. 3.

Finis,



*Finis, & medium potest esse idem, diuerso respectu. nu. 4.*  
*Finis primò duplex, ultimus & medius. Ultimus itē du-*  
*plex, uerus & falsus; Medius item duplex. num. 4.*  
*Bonum quoddam propter se tantum amabile, quoddam*  
*propter aliud tantum, quoddam propter se, & pro-*  
*pter aliud; & quæ sunt illa. num. 5.*  
*Bonum delectabile propter se amabile. num. 5.*  
*Finis iterum duplex; cuius, & quo. num. 6.*  
*Finis tertio duplex; operationis, & operantis. num. 7.*  
*Finis, quartò duplex, bonus, & malus, cum suis diffinitio-*  
*bus. num. 8.*  
*Finis quintò, duplex, principalis, & minus principalis,*  
*cum suis diffinitionibus. num. 9.*

**D**icitur de humanorū actuū  
 finibus, quorum cognitionem  
 pridem diximus esse necessariam ad recte viuendum, & re-  
 cte examinandum conscientiam, ac confi-  
 tendum peccata, in repet. c. inter verba. 2. q.  
 3. nu. 289, delegi pro dicendorū fundamen-  
 to cap. hoc, Cum minister. 23. q. 5. ex quæ-  
 stionibus patris nostri grauissimi Augusti-  
 ni super Exodo desumptum. Partim quod  
 eius opem ut imploramus; ita etiam spera-  
 mus. Partim quod in variis variorū regno-  
 rum academiis prælegendo, frequentissimè  
 illud citabamus, ad fundanda illa duo Boe-  
 tij Topic. loca videlicet, Cuius finis malus  
 est,

est, ipsum quoque malum est. Et cuius finis bonus est, ipsum quoque bonum est. Quæ facile deducuntur ex eo, quatenus probat, ministrū iudicis peccare, occidendo hominem, etiam illius iustū, in finem vindictæ priuatæ. **Quia** is finis malus est. Non autem si occiderit in finem vindictæ publicæ: **Quia** is finis bonus est.

Præmoneo in primis lectorē, caput hoc esse quidem à Gratiano desumptum ex August. super Exod. sed non ex uno loco tantum, sed ex duobus. videlicet ex q. 71. sub finem, & q. 79. neque tam quoad verba, quam quo ad sententiam: ut palam est legenti omnes eius quæstiones super Exod. & consenserint caput hoc, cum prefatis duabus quarum tenores breuitatis gratia non refero: Facio tamen certiorem in eis non esse verbum, sponte, huic insertum, licet sit verbum, volens, & velatum, per voluntatem: quæ satis illi æquipollent in d. q. 79. Quæ tamen non sunt ita latè accipienda, ac significatio eorum patet. Alioqui enim probaret hoc capitulum, peccare omnes exequutores pœnarum sanguinis, qui voluntariè occidunt, vel mutilant eos quos iustè iudex occidi iubet. **Quia** sponte, volentes, & per voluntate

voluntatē suam id faciūt. Quod est cōtra c.  
 Non est crudelis.c. Qui malos, & c.Homi-  
 cidas,infra ea.causa,& q.& falso ac con-  
 tra consuetudinē omniū totius orbis Chri-  
 stiani confessariorum; qui pāssim absoluūt  
 iustitiæ ministros, qui authoritate publica  
 in id deputati, occidunt, & mutilant ad id  
 patiendum damnatos, licet non proponant  
 ab eiusmodi officio perpetuo abstinere;  
 Quod iustè facere nequirent, si id verum  
 esset, ob defectum iustæ contritionis, quæ  
 huiusmodi propositum exigit. c.Negociū.  
 de poen. dist.5. <sup>a</sup> & latius tradimus in Ma-  
 nuali cōfessariorum. cap.j.post prin. Quare  
 intelligenda sunt solūm de illo qui volunta-  
 riè ad propriam vindictam vel aliū finem  
 malum occidit eum, quem iudex iustè iu-  
 bet occidi. Quæ intelligentia satis colligi-  
 tur ex prædictis duabus quæstionibus Aug.  
 & ex consuetudine quamplurimorum do-  
 CTORUM, qui caput hoc pāssim allegant, ad  
 probandas illas regulas Boetij in Topicis,  
 citati à S.Tho.1.Sec.q.18.artic.4.Videlicet,  
 Cuius finis malus est, ipsum quoque ma-  
 lum est. Et cuius finis bonus est, ipsum quo-  
 que bonum est. Quarum priorem probat  
 secundum intelligentiam prædictam iuxta  
 sensum

<sup>a</sup> c.Pani-  
tentia, &  
c.Satisfac-  
tio, de poe-  
nit.dist.3.

sensum directum : quatenus habet male facere illum exequutorem iustitiae, qui datum etiam iuste occidit sponte, id est voluntariè secundum voluntatem propriam, ad vindictam propriam, vel alium malum finem. Posteriorē autem probat quatenus iuxta sensum indirectum, & à contrario collectum, habet non peccare illum exequutorem iustitiae, qui occidit condemnatum iuste, ad finem vindictæ publicæ : qui est bonus : quia interest reipublicæ maleficia puniri. Ita vulneratus. ff. ad leg. Aquil. <sup>b</sup> Quorum regularum prior quæ iuxta sensum directum hinc colligitur. s. Cuius finis malus est, ipsum quoque malum est : sine villa exceptione, in uniuersum est vera : Altera vero, frequenter fallit : vt infrà dicetur. Quia cum bonum constet ex integra causa, vt Dionys. ait, in c. 4. de diuinis nominib. post Arist. lib. Ethic. & S. Tho. I. Sec. q. 18. art. 4 in fi. non sufficit boni finis circumstantia, quod aëtus sit bonus. Quia vero, vt ipsimet ait, malum ex quocumque defectu fit, & ideo dicitur fieri modis infinitis, sufficit mali fini circumstantia, quod aëtus sit malus.

Ex hac præmonitione colligitur, Gratianum virum grauissimum, & rei theologici  
 callent

callentissimum,& quendam alium, contrario modo sese ad Augustini opera habuisse. Quoniam Gratianus multa quæ non sunt eius, ad verbum ei tribuit. Ille autem alias, multa quæ ad verbum à plerisque omnibus ei tribuuntur, ademit, censendo nō esse ipsius. Cuius censuræ non pauci adhæserūt. Quod fuit in causa, vt ipse quoque cum ante 27. annos scriberem, cōmentaria in tres posteriores distinctiones de pœnitentia, in exordio earū, in quo Gratianus tribuit August. librū de Pœnitentia, eius operibus insertum, licet ipsius censura illi contraria displiceret, eius tamen in hoc Iudicium appellarem sagax, & donum Diuinum. Hunc autem postea quām in quodam suo libro deprehendi aliquot errores, à nemine ante me notatos, quos in Repetit. c. Quando de consecr. dist. i. notabili 18. à nu. 13. usque ad nu. 32. prodidi ab hinc circiter 20. annis, anno usque 1550. & postea quām noui, & à piissimis, eisdēmque eruditissimis viris accepi, quod magno cum ecclesiæ scandalō censuerit, aliqua communi totius ecclesiæ cōsensiū accepta, & pro irrefragabilibus habita, non esse illorum authorū, quibus præfatus cōmunitatis consensus tribuit, admoneo

B

ipsum damnosè, saltem in sacris, & sacroru  
authorum libris censendis, hallucinatū fuī-  
se. Ideóque à censuris eius valde cauēdum,  
tanquam factis ab eo qui sacram Theolo-  
giam non à radice, neque à trūco, sed, quod  
eius opera demonstrant, à foliis, & floribus  
delibauit. Quod ipsum nostra ætate facere,  
multos plus satis humanis, literis deditos  
non solùm circa theologiam, sed etiam cir-  
ca iuris peritiam videmus, dolentes quòd  
non satis animaduertunt aliud esse; sapien-  
tiā, scientiam & sacræ theologie, vel facti  
iuris peritiam, hebraicis, græcis, aut latinis  
verbis prolatam, vel scriptā, & aliud ipsam  
verborum, quibus profertur, & scribitur,  
significationem, & ideo aliam & longè ma-  
iorem operam impendendam rei cogni-  
tioni, neque sufficere impensam verborum  
significationi, cum à diuersis non fiat illatio.  
I. Papinianus exuli ff. de minorib.

Dicam ergo breuiter, distinctè, ac aptè,  
quām potero sine vlo fuco, & vlla ornatus  
cura, quid nam sit, & quotuplex actuum hu-  
manorum finis, quidque in eis operetur, &  
qui eorum illius ratione dicantur boni, &  
qui mali, qui peccata mortifera, & qui ve-  
nalia, rudiùs quidem, barbariùs, & demili-  
fius,

finis, sed longè breuius, neruosiùs, utilius & clarius prælucente, opemque ferente Christo, quām Cicero in suis quinque libris de finibus bonorum & malorum, fide ipsius destitutus: & affectu gloriæ per orationis elegantiam quærendæ, instructus.

Verbū Finis, tam fœminino, quām masculino genere inuenitur, iuxta illud Aenei. 1. quem das finem rex magne laborum. Et illud eiusdem Aeneid. 3. Hæc finis Priami factoru. Et est extremitas cuiuslibet rei: quod probant præfata Maronis dicta, & multæ leges. ff. & C. finium regund.<sup>a</sup> In nostro verò proposito accipitur pro termino, & extremitate, in quam operatio vel intentio operarij se refert. Intentio autem operarij, est actus voluntatis: Non quidem ille, quo vult aliquid absolutè. Quia ille dicitur voluntas. Nec ille quo quiescit in aliquo. Quia ille ad finitionem spectat: sed ille, quo vult aliquid tanquam terminum alicuius rei in illud ordinatæ. Ut subtiliter declarat S. Thom. 1. sec. q. 12. artic. 1. ad 4.

Diffinitur autem finis, iuxta mentem Aristot. 2. Physic. S. Tho. & aliorum in 2 lib. sent. dist. 38.<sup>b</sup> esse bonum, verum vel appetens, quod propter se appetitum, facit, vt

B 2

*a &c. finē  
libibus. de  
dolo & con-  
sum. &c. l.  
properan-  
dum. C. de  
iudic.*

*3  
b & eius-  
dem S. Th.  
1. sec. q. 12.  
artic. 1. &  
2. &c. q. 13.  
art. 3.*

aliud propter ipsum appetatur. Ut pridem diximus, sed non ad cō exactē, in repet.c.ln.  
ter verba.ii.q.3. nu. 195.

Dixi bonum, pro genere. quia omnis fi-  
nis est bonum quoddam, sed non contra,  
omne bonum est finis. Dixi verum, vel ap-  
parens, cō quod ut aliquid sit finis, & quid-  
dam appetibile, satis est, & requiritur, quod  
sit verum bonum, vel apparens. Ita quod  
sit bonum, vel appareat aliqua ratio, quare  
videatur bonum, iuxta illud Philos.2.Phy.  
*a Et S Th. 2. sec. q.8. artic. 5.*  
*b Et 2. sec. q. 4. artic.*  
sic. Finis est bonum, vel apparens bonum<sup>1</sup>.  
Idque triplex esse. s. honestum, deletabil-  
e, & utile. vt S. Th. om. i. par. q. 5. art. 5. <sup>2</sup> Di-  
xi, propter sc appetitum, quia si solūm pro-  
pter aliud appeteretur, esset quidem mediū  
ad finem, sed non finis.

Dixi, facit, ut aliud appetatur propter ip-  
sum, Alioqui enim non esset finis & termi-  
nus: quicquid dixerint Greg. Ariminensis,  
& Gabr. in 2. dist. 38. quibus vbi suprà non  
contradixi.

Per verbum autē, Propter vt ait S. Tho.  
2.sec.q.27.artic.1.quatuor causæ significari  
possunt. Finalis, formalis, efficiens, & mate-  
rialis, ad quam reducitur etiam materialis  
dispositio, quæ non est causa simpliciter, sed  
secund

secundūm quid. Quatuor enim sunt causæ diligēdi, & appetendi aliquid propter aliud, & vt dicatur Finis; puta, Finalis, vt medicina propter sanitatem, Formalis, vt homo propter virtutem, quia virtute formalis est bonus, & ita diligibilis. Efficiens, vt filius alicuius ob patrem. Dispositio quę reductur ad genus causæ materialis, vt beneficus propter beneficia, quæ ad id mouent.

Ex quibus infertur quòd vt aliquod bonum sit finis, non oportet vt id non appetatur ob aliud. Vnū enim & idem diuersis rationibus potest esse mediū, & finis: vt temperantia quæ per ieiuniū queritur ad melius seruiendum Deo, respectu ieiunij, est finis, & respectu Dei medium. Id quod latius mox apparebit.

Finis autem diuiditur primò, in vltimū, 4 & mediū. Vltimus est, qui propter se ipsum tantum amatur. & hic est duplex. Alter est verus vltimus, & omniū supremus, & unus omnium creatorum scopus, qui propter se tantum, & non propter aliud est amabilis. Qualis solus Deus est, vt docet S. Thom. 2. sec. q. 27. art. 1. Quippe qui super omnia est diligendus. Deut. 6. Marth. 22. Marc. 12. Alter est falsus, quem falsi homines pro sua

## 22 DE FIN. HVM. ACTVVM

falsa imaginatione impudētissimè , stoliditatemque tacitè vel exp̄ressè fingunt, & adorant. iuxta illud Apost. Quorum Deus ventus est, ad Philip. 3. Qualis est voluptas Epicureo. In quem Cicero duos libros prædictorum quinque ferè prodegit.

Finis medius, est qui propter se & propter aliud amatur. Qui est duplex. Alter vere medius, ille s. qui verè est propter se , & propter aliud amabilis. Quales sunt virtutes, & omnia honesta. secundum Ambr.lib. i. de offic.<sup>a</sup> Alter falsè medius , ille s. qui non potest esse amabilis propter se. Qualis est pecunia: vel non est amabilis propter aliud

**5** Qualis est Deus. Quæ autem propter se, & propter aliud, rectè amari queunt, sunt omnes scientiæ speculatiuæ, secundum Arist. Metaph. <sup>b</sup> & virtutes morales aliisque honesta secundū Ambr.lib. i. offic.<sup>c</sup> Hęc siquidem, iuste possunt amari propter se tantum, & iustiùs propter Deum , vel alios fines eis superiores. An autem delectabilia sint talia, quæstionis est. Nam S. Thom. i.sec.q.4.art.

<sup>d</sup> Et in Summa cōtra Gentil. lib. 3. c. 26. 2.ad secundum. <sup>d</sup> ait Delectationes esse propter operationes. At in eadem i.sec.q.2.art. 6.ad i.dixi, delectationes propter se appeti, & non propter aliud. Si li, propter, causam final

*a Et s. Th.  
i. par. q. 5.  
artic. 6.*

*b Et s. Th.  
i. sec. q. 3.  
artic. 6.  
c Et s. Th.  
i. par. q. 5.  
artic. 6.*

*d Et in  
Summa cō-  
tra Gentil.  
lib. 3. c. 26.*

finalem sonet. Immo in arg. i. alleg. Aristot.  
 10. Ethic. docentem Ridiculum esse ab ali-  
 quo querere , propter quid vult delectari;  
 cum palam sit, quod propter ipsam delecta-  
 tionem, & hoc videtur verius per latè tra-  
 dita à Caiet. in d. art. 2. ubi pulchrè dicta S.  
 Thom. conciliat , dicens, Bonum diuidi in  
 bonum propter se, & bonum propter aliud.  
 bonum autem propter se, in bonum hone-  
 stum, & delectabile, & ita salus & vita , quæ  
 ad delectabilia reducuntur à Boetio lib. 2.  
 prosa 2. de Consolat. sunt de genere bono-  
 rum, quæ propter se solum iuste appeti pos-  
 sunt, id quod ad multa multum perpendere  
 oportet. Cætera vero bona , quæ vocantur  
 utilia, non sunt amabilia propter se , sed so-  
 lüm ob aliud, qualia sunt, bona pecuniaria  
 secundum eundem S. Tho. in d. art. 6. ad 2.  
Qualia etiam honoraria, scilicet honor , fama , &  
gloria iuxta eundem 2. sec. q. 132. art. 1.

Secundò , diuiditur finis, in finem cuius, 6  
 & in finem quo, quorum membrorum nomi-  
 na à Ciceronianis parum probantur. Finis  
 cuius, est id in quo est ratio boni. Finis autem  
 quo, adeptio & possessio, siue usus eius. Ut  
 auari, finis cuius, est pecunia, in qua est ratio  
 boni. Et finis quo, est adeptio , possessio &

**24 DE FIN. HV M. ACT VVM**

vſus eius, vt declarat S.Thom.i.sec. q.2.art.

8. Et ita finis cuius, totius humanæ vite ipſe  
Deus est, in quo summa & infinita ratio bo-  
ni est. Beatitudō autem, qua beati videntes  
eum, eo ipſo fruuntur, est finis quo.

**7 I I I.** Finis diuiditur in finem opera-  
tionis, & in finem operarij, seu operatis. Fi-  
nis operationis est obiectū, in quod suapte  
natura ipsa dirigitur. Finis operantis est, in  
quem per operantem dirigitur operatio. Ut  
cum quis edificat domū, quō locādo eam,  
lucretur; ipsa domus est finis operationis.  
Finis autem operantis, est lucrari, quod per  
locationē intenditur. Qua diuīsione ad gra-  
ues difficultates dissoluendas multis in lo-  
cis D.Thom.vtitur p̄fserit in 2.dist.1.q.1.  
art.1. & 3.& dist.36.q.1.art.5.ad secundum. &  
dist.38.art.2. & in quarto dist.16. q.3.art.1.q.  
2.ad tertium & 2.sec.q.141.art.6.ad primū

**8 I I I I.** Diuiditur finis in bonū, & ma-  
lum. Bonus finis est bonum verum aptum  
medio quo quæritur. Non enim potest esse  
bonus finis nisi verè bonum. Nec sufficit  
quod sit verè bonum, nisi medio quo quæ-  
ritur, sit aptum. Non enim est bonum dili-  
gere Deum propter pecunias, vt infra dice-  
tur. illud autem est bonum aptum; quod est  
obiectum

obiectum actus, in quod ille suapte natura dirigitur, aut aliquid aliud illo melius. Finis vero malus est malum culpæ, vel bonū medio quo quæritur ineptū. Finis enim in quantum huiusmodi, superior est medio, in quantum huiusmodi, secundū D.Th.1.sec.q.1.art. 1.ad 1. At malum est inferiora superioribus præponere: immo & æquare c. statuimus, & c. solitæ de maior. & obed. Quia omnia in ordinata mala sunt; cum nihil debeat esse inordinatum §. Si vero, ver. Inordinatum autem nihil. <sup>e</sup> Et quia ea quæ à Deo sunt, ordinata sunt. ad Rom.13.<sup>f</sup> Et quia prædia inferiora non debent dominari superioribus; sed eis subseruire. l.1. §. Sicut. & l.2. in princ. ff. de aqua pluuiia arcen.

9. V. Diuisio finis, eadēmq; maximi pondēris est, in principalem & minus principalem. Principalis est finis propter quē solum, vel tantum propter illum, ac propter alium sit opus, saltem quoad actionē operis. Dixi, solum, ad significandum esse aliquos fines principales totales. Qualis est virtus respectu operis, quod quis facit eo solo quod est honestum: vel quod recta ratio id dicitat. Dixi, vel tantum propter illum ac propter alium; ad significandum esse aliquos fines

<sup>e</sup> Antib.  
de here. &  
Falc. cap. ad  
hoc. & 6. dis.  
<sup>f</sup> Extrava.  
rnam san-  
ctā. de ma-  
ior. & ob.

## 26 DE FIN. HVM. ACTVVM

principales, qui sunt partiales & nō totales;  
 Quales sunt illi duo fines ieunij, ieunantis  
 aliquo die quatuor temporum, quadragesi-  
 mæ, ad satisfaciēdum dupli præcepto, quo  
 illud præcipitur: videlicet præcepto de ieu-  
 nando dies quatuor temporū. de quo in c.i.  
 2.& 3.76.di. & præcepto de ieunando qua-  
 dragesimam: de quo in c. quadragesima. de  
 consec. dist. 5. Addidi, saltem quoad actionē  
 illius operis: ad comprehendendum finem  
 principalem cōcurrentem cum alio maio-  
 re, & principaliori. vt cum quis ieunat, die  
 ad id indicto, vt obediatur præcepto Eccle-  
 siæ & placeat Deo. Nam licet finis Deo pla-  
 cendi sit quiddam maius, & principalius  
 quam obedire. Quippe quod est actus cha-  
 ritatis, quæ præcellit omnes virtutes. c. cha-  
 ritas. 2. de pœnit. dist. 2. tamē quoad hoc est  
 quadam tenus par obedientiæ. Finis minus  
 principalis est dispositio, siue impulsio, ad  
 faciendum aliquid propter aliud, siue sine  
 illa id fieret; siue nō. Quales sunt, timor in-  
 ferni, & spes paradisi: quibus quis ad aman-  
 dum Deū propter seipsum mouetur. iuxta  
 mentem S.Tho. in 2.sec.q.27. art.1. qui ait  
 eam reduci ad causam materialem: & quod  
 non est simpliciter, sed secundum quid. Dixi,

siue

sive sine illa &c. ob multos fines minus principales operum, sine quibus ea non fierent. Qualis est negotium alienum eius qui ve-  
nit Romam, ob grande aliquod negotium proprium, & non venisset, nisi aliquis aliud minus, cum aliquo salario ei commisisset. Eiusmodi enim aduentus finis minus principalis, est negotium alienum, licet sit causa sine qua id non accidisset,

## S V M M A R I V M.

**F**inem ob aliquem hominem, & alia omnia agere, sed alia & alia ratione. num. 10.

**F**ine à quo actus suam speciem sortiuntur, qui finis est primus in intentione, licet quando est aliis ab obie-  
cto sit ultimus in exequitione. num. 10.

**F**ine de ultimo uite humanae inquisitio Aristotelis non adeò magnificienda &c. quia facile aliunde discitur numero 11.

**B**eatitudo in quo cōsistit, & quid sit essentialiter. nu. 11.

**B**eatitudo in nulla re creata cōsistit, etiam iuxta natu-  
ralem rationem: non in diuitiis, nō in honoribus, non  
in fama & gloria, nec in potentia, non in ullo corpo-  
ris uel anime bono, nec uoluptate, licet inhāreat anti-  
me, sed in solo Deo, qui eam producit. num. 12.

**B**eatos multos falso dici. num. 13. Et est duplex re, &  
spē consummata patriæ, & consummanda uiae: &  
hanc tales, & tales habere. num. 14.

**B**eatitudinis titulo, qui & qua ratione īstè gaudeant.  
numero 14.

Finem

**F**inem aliquem esse ultimum humane uitæ etiam naturali ratione probari. num.15.

**F**inem ob ultimum, hominem omnia agere, non uideri uerum, contra S.Thom. nu.15.

**R**eferrri posse omnia quæ non sunt peccata in Deum. num.15.

**I**nfideliūn actus non omnes mali. num.15.

**R**eferre in Deum nos omniūque nostra,actu uel uirtute, utile, sed non semper necessarium. num.16.

**M**ediorum in finem relatio, fit uno actu, quandoq; pluribus, inter que plurimum distat. num.17.

**A**ctus idem non potest esse bonus & malus, etiam diverso respectu. num.17.

**R**elatio duplex, actualis & uirtualis, quæ diffinitur ex actu. num.18.

**G**ratia gratum facientis effectus quidam insignis. nu.19.

**R**eferrendi nos & nostra Deo, modus utilis. num. 19.

**F**ines duos ultimos etiam falsos, nemo uno & eodem tempore habere potest. num.20.

**F**ines ultimi falsi tot quot false opiniones putant esse omnium amabilissima. num.20.

**D**eus firmius necessario amandus, licet non feruentius & intensius. num.20.

**A**mat qui aliquid ita ut malit frägere legem ad mortale obligantem, quam desistere ab illo amore, peccat mortaliter. num.21.

**F**inem ultimum non ponit omnis in eo in quo etiā scienter mortaliter peccat. num.22.

**P**eccatur non habitu, sed actu: cum exemplo quotidie. no. num.23.

**A**mare Deum eque ac aliud uel minus cōparatiūe peccatum,

*catum, non autem simpliciter. num. 24.  
Bonum, aliud propter se solum, aliud propter aliud fo-  
lum, aliud propter se, & aliud amabile. num. 24.  
Scire ut scias tantum, si & quando peccatum. num. 24.*

D diffinitionem, ac diuisiones 10  
 prædictas addo, declaroque cō-  
 plura, sequutus ordinem propo-  
 sitionis ea:ū. Primò quidem, ad diffinitionem  
 finis positam num.3.addo id quod S.  
 Thom. post se ac alios in 2.lib.Sent.dist.38.  
 diffinit in 1.sec.q.1.art.1.& 2. Omnem homi-  
 nem agere propter finē; immo & alia om-  
 nia etiā naturaliter agentia. Secundūm phi-  
 losoph.2.Physic. Sed aliter homo rationis  
 particeps; & aliter rationis expertia. Homo  
 quidem tanquām sese ad illum libere sua  
 voluntate mouēs. Illa verò naturaliter tan-  
 quām à natura ipso Deo mota. Illud item  
 quod ipsem in dist.q.1.art.3. determinat, s.  
 humanos actus à fine suā speciem recipere  
 iuxta illud August.de Eccles.morib.Secun-  
 dum quod finis est laudabilis, vel culpabi-  
 lis, opera nostra sunt laudabilia vel culpa-  
 bilia. Quia finis qui est ab obiecto, licet sit  
 vltimus in executione; primus tamen est in  
 intentione. Quod clarius expresit in art.1.  
 & 4.& clarius q.18.art.18.art.7.<sup>8</sup> Quod nō  
 latuit g & q.20.  
art.2. ad  
secundum.

## 30 DE FIN. HVM. ACT VVM

latuit Bart. in I. Ambitiosa. num. 19. ff. de decret. ab ordi. facien.

ii Ad primam autem diuisionem finis positam nu. 4. in vltimū & medium; addo primō, Quòd operosa illa de vltimo fine, fœlicitate ac beatitudine inquisitio Aristot. in lib. 1. & 10. Ethic. & verbosa illa Cicer. in 5. libris de finib. bonorum & malorū. non est tanti facienda, quanti ego olim illam faciebam, imitatus gloripetas illos, qui malunt discere veritatem per ambages ex philosophia ethnicoꝝ obscura, & nubila, quām recta ex Euangeliō clara & serena à sacris doctoribus exposito. Quoniā ex I. Ioan. 4.<sup>b</sup> facillimē colligitur finem vltimum cuius, omnium in quo beatitudo nostra consistit, esse ipsum Deum, increatū, summē, infinitēque bonum. Vltimum autem finem quo esse beatitudinem siue fœlicitatem animæ inhærētem creatam, qua prehenditur, & in fruitionem habetur vltimus ille finis cuius: vt ante póstque alios declarat S. Thom. in 1. sec. dicta. q. 1. art. 7. Et quòd beatitudo siue fœlicitas essentialiter est visio Dei, cum illa mira fruitione, quam iuxta Esa. cap. 64. & Pau. 1. ad Cor. 2. Nec oculus vidit, nec auris audiuīt, nec in cor hominis ascendit, vt recte

*b. Et Magister S. Thom. Scotus & alius in 4. dist. 49. c. S. Thom. in 1. sec. q. 1. 2. 3. & 4.*

recte placet S. Th. in dicta q.3.art.8.vel frui-  
tio cum visione ut subtilissimo placet Sco-  
to,in dicta q.49.

Addo quòd S. Tho. ante póstque alios <sup>12</sup>  
in dicta q.3.monstrat esse impossibile , non  
solum iuxta rationem fidei catholicæ , sed  
etiam iuxta naturalem beatitudinem no-  
stram, consistere in alio quàm in ipso Deo,  
in quo summa & tota ratio vniuersalis bo-  
ni consistit; dum in art.1.ostendit,non posse  
consistere in diuitiis.In secundo,quòd neque  
in honoribus,lacet diuitiis meliores sint. In  
tertio , quòd neque in fama & gloria. In  
quarto,quòd neque in potentia. In quinto,  
quòd neque in vlo corporis bono, cum &  
salus,& alia corporis bona ordinetur ad ani-  
mæ bonum.In sexto, quòd neque in volu-  
ptate,etiam quàmlibet honesta. Et in septi-  
mo neque in aliquo bono animæ, quàmuis  
animæ inhæreat beatitudo , qua prehendi-  
tur & possidetur id in quo illa cōsistit,nem-  
pe ipfemet Deus. In octavo,quòd neque in  
vlo alio bono creato , sed in Deo ipso in-  
creato,qui cœauit nos: quíque beatitudinē  
in animis beatorū facit, iuxta illud Aug.1.  
de doctrina Christia. Illis rebus fruendum  
est, quæ nos beatos faciunt.yt declarat S.  
Thom.

32 DE FIN. HV M. ACT V V M

Thom. in dicta quæst. 3. artic. 1.

13 Quare, iure rideamur, qui ob quælibet magna fortunæ, corporis, vel animæ bona, gaudemus appellari fœlices, antequæm Deū intueamur, & antequæm sciamus, nos esse illi per gratiæ suam acceptos. Quod nemo nisi reuelante domino scire potest. Eccle-

*i. &c. fin.  
de purgat.  
cano. & ca  
none. siff.  
& concilij  
Trid.*  
9. Immo & antequæm probabiliter eam nos esse consequutos, & cōseruare coniiciimus. Quin etiam scientes, vel scire debentes, ea nos carere, ideo quod nouerimus nos in squallido culpæ mortiferæ reatus statu iacere: parum memores illius Seuerini libri de Consolat.

*Quid me fœlicem toties iactastis amici?*

*Qui cecidit stabili non erat ille gradu  
& illius Parthenicæ Marianæ,*

*Fœlices quicumque istis à syrtibus altam*

*Visuri pacem, sunt in loca tutarcepti.*

*Nā neq; mens vlliæ secus est habitura quieti.*

*Nec letos sensura dies, nec dulcia secula.*

14 Nolumus tamen negare, posse appellan beatos & fœlices illos, qui gratia Dei grati faciente fruuntur: etiam si paupertate opprimitur, morbis cruciatur, & ignominia, ac tyrannide pessundentur. Illos item, qui nos abeunt in consilio impiorum; & in via peccatorum

catorum non steterunt.Psal.1. & quorū remissa sunt iniuriantes. Psal.38. Qui timore casto Deum timētes, ambulant in viis eius, Psal.127. & qui immaculati in via ambulant in lege Domini, Psal.118. Beatos, inquā, spē, non re, beatitudine consummata, non consummata, viæ, non patriæ. Sed nec volumus damnare peccati, omnes qui eiusmodi epithetis & titulis felicitatis, & beatitudinis ornari gaudent, modo non gaudient eis quatenus ob malum culpę, vel ob bonum falso tribuuntur; aut ob ipsam laudem solam, non referendo eam in alium finem aptum, etiam si ob vera bona illa contingat, iuxta ea quæ pridem in dicta repe c. Inter verba.ii.q.3.nu.335.seruanda diximus, in acceptanda iustè laude humana; & summatim retulimus in Manuali cap.23. nu. 18. De numero quorum iustè se beatos appellati gaudentium, sunt qui ratione dignitatis interioris, veræ, vel præsumptę, vel exterioris, cui virtus animi responderet, vel responderem præsumitur, vel qua est ei respondendum, obligat vel incitat eiusmodi appellationē acceptant, gratias Dco agentes quod dederit eis illa ob quæ laudantur, aut indolentes quod nil corum, vel certè nō tantū,

C

## 34 DE FIN. HVM. ACT V V M

quantum putantur habere , habeant. arg.c.  
1.40.dist.adiuncto c. Inter verba.ii.q.3.

15 Addo tertio quod idem S Tho. in dicta  
q.1.art.4.probat efficaciter, esse aliquem ultimam  
finem humanae vitae : non solum fidem  
catholicam, sed etiam illa ratione naturali quod  
finis habet rationem boni, quae infinitum tol-  
lit.iuxta Philos.2. Metaph. Immo &c in art.  
6.tenet, omnia quae vult homo, velle pro-  
pter ultimum finem. Quod tamen nobis non  
videtur certum, etiam subintelligendo for-  
maliter vel virtualiter ; quicquid Caiet. ibi  
dicat soluendo argumenta Scoti in 4. dist.  
49. quae tamen nostra sententia, minime sol-  
uit. Et corroborantur, Tum eo quod pecca-  
ta quae peccamus, neque referimus, neque  
sunt referibilia in ultimum finem, secundum  
omnes, & tandem Caiet.1.s:c.q.8.art.3.& q.  
100.art.10. Vbi ait, omnia, quae non sunt pec-  
cata, esse in Deum referibilia; non tam il-  
la. Tum quia licet operari, propter id quod  
est per se amabile, non referendo illud in fi-  
nem ultimum, ut infra dicemus. Tum quia  
multi multa volunt, & operantur etiam for-  
maliter, & actualiter propter id quod est, &  
sciunt esse contrarium ultimo fini, & eius af-  
ficiuntioni: puta omnes qui peccant morta-  
liter

liter scientes id impedire adeptionem eius.  
Tum quod alioqui omnia opera infideliū,  
qui gloriam vel falsum Deum suum vlti-  
mum finem putant, essent peccata, ob mali  
finis circumstantiam. Quod est contra eun-  
dem S. Tho. 2. sc. q 10. art. 4. Quē ibi Caiet.  
latē defendit contra Greg. Arimin. qui com-  
muniter reprobatus in 2. sent. dist. 38. & seq.  
id affirmavit.

Addo quartō, vtilissimū quidem esse, 16  
dicare omnia op̄ ra nostra huic vltimo fi-  
ni, iuxta illud Psal. 44. Dico ergo opera mea  
Regi. Et omnia in nomine eius, qui est D.  
N. Iesus Christus facere ad Colos. 3. <sup>K c. non lis-  
teat. 26.</sup> Nam & Persius fidei lumi- e carens, grauiter de-  
testatur oscitātiā nostrā, qui parum ob-  
oculos hunc finem vltimū versamus, & mi-  
nus in illum nostras actiones veluti sagittan-  
tes suas in suum scopum sagittas collima-  
mus. Dum ita increpat,

*Est aliquid quò tendis, & in quod dirigis arcū,  
An p̄ assim sequeris coruos, testaq; lutoq;  
Securus quin pr̄feras, & ex tempore viuis?*

Et dum subdit,  
*Discite ō miseri, & causas cognoscite rerum.  
Quid sumus, aut quidnam victuri gignimur?  
Vtilissimum, inquam, est hoc facere: nō ta-*

men adeo in id obligamur , vt quoties id non facimus peccemus.Immo plurimū no- cuerit credere omnia quæ facimus esse pec- cata,nisi in vltimum finem,qui est Deus, ea referamus. Proinde curemus facere illud, vt meritis crescamus; & hoc euitemus , ne scrupulis angamur.

47 Addo quintò, quod multi putant se non facere relationem prædictam quam tamen faciunt:& multi contra facere,quam tamen non faciunt.Pro cuius rei intellectu,notandum:quod hæc collimatio,sive relatio ope- rum nostrorum,in vltimū finem , sive Deū & aliorum mediorum in alios fines,aliquan- do fit vnicō actu,aliquādo pluribus. Fit plu- ribus,quando uno volumus finem , & alte- ro,ea quæ sunt media ad finem. Vnico au- tem fit,quādo uno & eodem actu volumus finem,& media in illum,vt probat vterque S.Tho.i.sec.q.8.art.3. Plurimūque refertur hoc vel illo modo ea velimus.Nā qua- do finis est bonus & media mala, vel è con- trario finis malus,& media bona, & utraq; volumus uno actu,totus ille malus est:Quia unus & idem actus,nō potest esse bonus, & malus,etiam diuersis respectibus. Secundum communem opinionem,quam affirmat S.

Tho.

Tho.in 2.sent.d.40.q.1.art.4.<sup>1</sup> At si diuisim vno aētu quis vult orare, vel ieiunare, & altero vanam gloriā ex eo querere, prior aētus potest esse bonus, licet posterior sit malus.

18 Norandum item, quod hæc relatio est duplex, s. actualis, siue formalis, aut expressa: cum vnico aētu, vel pluribus actualiter media referuntur ad finem, ut proximè dictū est. Et virtualis aut tacita seu æquipollens. Quæ pretermissa operosa doctōrū disputatiōne, super hoc adhibita in 2. lib. sent. dist.

40. & attentis magnis argumentis Io. Maioris contra communem, in quam etiam S. Tho. inclinat ibidem, art.5.<sup>2</sup> diffiniri potest quod relatio, quæ tacitè resultat eò quod includitur in alia generali aētuali antea facta; vel eo quod aliam aētualēm specialem consequitur. Vel eo quod inest aētui aptitudo ad relationem talem, concurrente gratia habituali quæ ad eam inclinat. Exemplum pri mæ partis, est relatio illa tacita, quæ resultat ex eo solo quod quis facit bona opera, postquam generaliter aliquando dicauit & retulit omnia bona suæ vitæ opera, amori vel obsequio Dei: aut cum professus fuit Christianismum, monachismū, vel aliū viuendi statum accepit: aut aliàs quandocumque, &

<sup>1</sup> Et maior d. 17. q.

<sup>2</sup> Catech. ap-

p. r Matth.

c. 6. Jacob

Amayn.

m moralib.

c. 12. ap. p. us

in hoc tex.

c. cum re-

nunciatur.

32. q. 1. C

ca si enim.

de paenit.

dij. 2.

<sup>3</sup> m Et Cate.

1. sec. q. 2.

art. 1. C. q.

100. art. 10.

C aptius

ad proposi-

tum. q. 8.

art. 3. C. q.

18. artic. 5.

C. 9. in ad

dit. magn.

## 38 DE FIN. HVM. ACT V V M

postea mentē cōtrariam non habuit. Exemplum secundæ partis, est relatio milliarium, siue leucarum, & passuum itineris, quod sine villa Dei actuali memoria facit is, qui vadit visere S. Iacobum in cōpostella, quę resultat ex eo quòd ipse illam visitationem voulit. Exemplum tertiae partis, est relatio bonorum operum eius, qui siue villa Dei actuali memoria facit in statu gratiæ gratū facientis, & charitatis; resultans ex eo quòd sint apta, vt in ultimū finem referantur: & fiunt ab eo, qui habet illum præexcellentē habitum charitatis, & gratiam, quæ ad eiusmodi relationē inclinat, vt S. Th. Maior. & Cajet. vbi supra probant. Breuius etiam diffiniti potest secundum Bonaventuram, quem sequitur Gabriel in dist. 41. col. 3. quòd virtuatis relatio unius in aliud est illa, de qua interrogatus operans, an tacitè illam sentiat? Vere ac affirmatiū respondere potest ita sentire.

19 Ex his infertur unus fructus sāpe à concionatoribus inculcandus illius fælicis status in gratia Dei. Infertur etiam piissimum esse vt quisque nostrum frequenter Deo, nostro fini ultimo cor de puro dicat multa domine volo, nolo, dico & facio: quæ propter se min

se minimè sunt amabilia, nec de se sunt mala, sine villa tui, vel beatitudinis, vel alicuius virtutis, quæ iustus eorum finis esse potest actuali memoria; quæ mea fragilitas est. Quare imitatus Psaltem psal. 44 Ego ea omnia & alia opera mea, & me ipsum dico tibi regi & domino nico: protestorque me omnia illa velle, ut placeam tibi omniū amabilissimo. Utq; reuerear te omnium reuerendissimum. Utq; aliquando tua visione, (quæ omniū suauissima est) perfruar, utq; hoc iusto fine virtualiter saltem præstita, recta sint, & honesta, inque tuum amorem referibilia.

Addo sextò, quod quanquam unus & 20 idem homo, uno & eodem tempore, non potest etiā falsè putare duos esse sibi ultimos fines, cuius, neque quo, quia id secū pugnat, & compugnantia constare nequeunt. l. vbi repugnantia. ff. de reg. iur. " Licet item veri <sup>n.c. si enim.</sup> fines ultimi cuius, & quo non sint alij quam <sup>de penit.</sup> <sup>dif. s.</sup> prædicti, etiam iuxta solam rationem naturalem, ut probat S. Thom. i. sec. q. i. art. 7. tot tamen sunt falsi, quot aliquorū falsæ opiniones, & peruersæ voluntates fingunt. Et toutes diueris temporibus plures habere potest unus & idem, quoties suam sacrilegam

opinionem in aliam in eo illi similem mutat. Quia vnicuique id est talis finis ultimus, quod ipse putat esse omnium amabilissimum, iuxta illud Apost. ad Philip. 3. Quorum Deus venter est. Ideoque grauissimum idolatriæ genus est velle, vel appetere, vel amare aliquid aliud à Deo vero, tanquam omnium amabilissimum. Impiaque illa phrasis loquendi Virgiliana, ò Melibœe, Deus nobis hæc otia fecit, Namque erit ille mihi semper Deus, &c. Nam quidam, nimium sese amantes, imitantur; dum sese, suos deos, suosque angelos appellant, finem sui amoris ultimum sese innuentes, contra illud Matth. 10. Qui amat patrem aut matrem plusquam me, non est me dignus. Quod tamen intelligendum est de maiori amore, quoad firmitatem, non quoad intensionem & feroorem, ut in Manuali confessariorum cap. I. nu. 3. declarauimus. Quo à peccato excusantur plurimi qui longe fortius ac intensius amant sese, parientes, vxores, vel amicos, quam ultimum finem Deum. Parati tamen faltem virtualiter, prius perdere illum ferventem, quam diuinum vt cumque calidum, si fors tulerit, ut alter eorum sit necessariò perdendus. Quo modo vtinam omnes; qui sic

sic amant, & sic loquuntur sint parati, vel  
saltem pœnitentia eos non fuisse ita paratos:  
quod veniam confessi, consequantur. Amen.

*Qui tamē & omnes alij meminerimus,* 21  
*quod toties mortaliter peccamus, quoties*  
*ita pecuniam, honorem, amicos, cognatos,*  
*heros, duces, Reges, Imperatores, Episco-*  
*pos, Papam, immo & nos, vitam ve nostram*  
*amamus: ut malimus legem, (qua ad pec-*  
*catum mortiferū obligat) transgredi, quam*  
*prædicta, vel eorum gratiam amittere. An*  
*autem id sit constituere tacitè, vel æquipol-*  
*lenter, finem ultimum in eo quod præfert*  
*huiusmodi legi, questionis potest esse.*  
*Quia id videri potest alicui sensisse vterq;*  
*S. Thom. in sec. q. 88. art. 4. & seq. At ipse*  
*arbitror non constituerere. Tum quia illi pa-*  
*tres non exprimunt hoc. Tum quod alio-*  
*qui bis peccarent omnes, qui semel scienter*  
*mortiferè peccaré. Quia transgredierentur*  
*legem: quod est unū peccatum; & posterent*  
*finem ultimū in eo; quod est alterū. Tum*  
*quia multi peccat mortaliter cognoscentes*  
*minime in eo consistere finem ultimū, licet*  
*nouerint id esse illi exosum, & licet à tenta-*  
*tione aliqua victi, agant illud, sciunt tamen,*  
*id non esse omnium amabilissimum.*

42 DE FIN. HVM. ACT VVM

22 Addo septimò verè pœnitētem , & omnia peccata sua vt debet, confiteri volētem, recogitare oportere; num aliquādo & quoties eo animo, actu siue actualiter , aut virtualiter fuerit. Actualiter, inquam, vel virtualiter: Quia nō sufficit ad peccandū habtu , seu habitualiter, illo animo fuisse. Qui omnium sentētia non peccamus habitibus sed aetibus. Et qui eo habitu est , vt auctoritate propria vindicaret iniuriā, si ei fieret vel rem haberet cum aliqua, si ab ea rogatur; non peccat; si nullum super hoc alium aetum produxerit. Quod etiā ex Cardinale S. Xisti pridem collegimus. in c. Quem pœnitet, de pœnit. dist. i. Alioqui enim etiā dormientes peccaremus contra Clementiam de homicid.

23 Addo octauò, quòd ex verbis illis Christi: Qui plus amat &c. nemo colligat, eū, quemque amat ultimum finē, qui est ipse Deus ac se vel alia creaturam, non peccare. Tum quia comparatiuē quemque , vel minus amat Deum, quam se vel alium, peccat, vt post S. Tho. i. sec. q. 109. art. 3. diximus in Manual cap. ii. nu. 8. Tum quia plus tenemur diligere illum quam alios, & quam nos ipsos, probat S. Thom. 2. sec. q. 27. art. 3. & seruan  
præcep

præcepta eius, plusquam nos, vitamq; nostram,uxta illud: Qui vult venire post me, abneget semetipsum, tollat crucem suā, & sequatur me. Matth. ii. Quo docemur, opere nos perdere vitam; si aliter eum sequi præcepta eius seruando nequimus. Quæ catholicæ conclusio est, frequenterque per concionatores inculcanda: Cum paucim videre sit præcepta Pontificum, Regum, Regulorum, heroum, & amicorum iniusta, maioris haberi, quam iuita Christi: & hec ob ea frangit. Dixi superius, qui æque vel minus amat Deum, comparatiuè. Nam qui sineulla cōparatione ad Deum, minus, vel æquè amat eum, non peccat. Nō enim omnis amor quo Deus amatur est malus, eo ipso, quod nō sit sic per omnia erectus, ut videtur præsupponere uterque S. Tho. in I. sec. q. 109. art. 3.

Addo nō, quod ex hac diuisione prima colligitur esse aliiquid, quod propter se solum, & non propter aliud, recte amari potest. Et ita est ultimus finis, quod nequit esse rectè medius. Quod solus ipse Deus aternus, immensus, omniumque principium & finis est. Est aliud, quod propter aliud solum, & non propter se recte amari potest; & ita non potest esse recte finis ultimus, neque medius.

44 DE FIN. HV M. ACT V V M

medius. Cuius generis sunt bona pecunia, & honoraria, & omnia quę dicuntur bona vtilia. Aliud est quod propter se & propter aliud, recte amari potest. Et ita recte potest esse finis medius, & non vltimus. Cuius generis sunt virtutes, scientiae, & alia honesta, immo & delectabilia; ut prædictum est suprà nume. 4. & 5.

Ex quo infertur, errasse illos, qui dixerūt, quædam peccasse in eo, quod iura diuina, & humana, vel artes liberales disceret, eo tantum fine, ut sciret; non referendo id in alium. Quia scientia est finis medius; qui propter se solum, & propter aliud appeti potest, ut dictum est. Nec obstat illud Bernar. li. i. Medit. quo illi mouebantur; Multi sciunt ut sciant, & curiositas est. Quia intelligendum est de illis, qui discunt scientiam ad gloriam vanam, vel alia vana, vel mala; Vel non ideo, quod scientia propter se solum, est recte appetibilis.

S V M M M A R I V M.

*Fines & scopi ultimi, in quos uiatores omnia referant, duo sunt, n. 25.*

*Finis operantis licet sit posterior fine operationis secundum ordinem exequutionis, est tamen prior secundum ordinem intentionis, & ita principalior, n. 26.*

Lex

*Lex omnis iusta principalius fit ob utilitatem publicam  
quam priuatam. nu. 27.*

*Antinomie quedam graues conciliantur noue nume. 28.  
et 29.*

*Legibus aliquot cur renunciari potest : licet principia  
lius publicam utilitatem quam priuatam respiciant.  
num. 29.*

*Fortunius Cantaber laudatus. nu. 29.*

*Finis non idem iuris utriusque secundum communem:  
sed contra Fortunius : qui quattuor dictis satis con-  
ciliatur. Quodq; beatitudo uera que Christiana est,  
supernaturali tantum lumine cognoscitur. nu. 29.*

Circa secundam finis diuisionem 25  
positam supra nume. 6. in finem  
Cuius, & finem Quo, admonen-  
di sumus frequenter, quod hu-  
manæ vitæ omniumq; in hoc sæculo eam  
agentium, qui viatores dicimur, duo tan-  
tum sunt vltimi scopi in quos omnia no-  
stra in Deum referibilia, mediate vel im-  
mediatè, actu vel virtute referre debere-  
mus. Videlicet finis Cuius; qui est Deus ipse  
increatius, & infinitè bonus. & finis Quo;  
qui est beatitudo ipsa animæ creata & fini-  
ta; qua tamen ipse infinitus ad plenam &  
perfectam satietatem apprehenditur.

Ad tertiam diuisionē finis positam su- 26  
pra nu. 7. in finem operationis, & operantis  
addo,

46 DE FIN. HV M. ACT V V M

addo, quod quamvis finis operationis sit tantum unus; finis tamen operarij, siue operantis potest esse multiplex. Nempe, ille ipse, qui est operationis & alij multi: ut ieiunij, quod est operatio, finis est corporis afflictio. Et finis operatis & ieiunantis potest esse illa, & alia multa: puta, vitia comprimerre, mentem eluare, virtutesque augere. ut missæ præfatio habet. & S. Thom. 2. sec.

27 q.147.artic. 1.declarat. Quamvis item finis operationis, quando est alius à fine operantis, sit prior illo secundum ordinem exequutionis, finis tamen operatis, est prior secundum ordinem intentionis, vt probat S. Thom. 1.sec.q.1. ad 1. & artic. 4. in corpore.

<sup>o & q. 18.</sup> <sup>2. ad 2. &</sup> <sup>q. 20. art. 1.</sup> <sup>ad 7.</sup> <sup>o</sup> Est etiā principalior illo iuxta illud Arist. Qui furatur, vt adulteretur, magis est adulterer, quam fur. Aedificatis enim domum ob lucrum per locationem eius querendū primus & principalior finis est lucrum, iuxta ordinē intentionis. Quia ille mouet primum ad ædificandum, licet postremus sit in exequutione, quia post ædificatam domum queritur.

28 Addo 2.ex his inferri omnem legem iustum esse factam principalius ob utilitatem publicam quam priuatā iuxta c. Erit autem lex

lex.4.dist. Quia licet multarum finis propinquior, & prior secundum ordinem executionis, sit utilitas priuata, minorum, mulierum, &c. vt per totum titulum ff. & C. de Minor. & ad Velleia. <sup>p</sup> Quia tamen ille finis est minus principalis, quamvis propinquior secundum ordinem executionis, & utilitas reipublica quæ inde resultat iuxta l.i.ff.sol.mat.est finis prior secundum ordinem intentionis, & ita principalior. merito dicuntur omnes latæ principalius ob publicam utilitatem quam ob priuatam. Quæ omnia præclarè sensit Bart. in l. Ambitiosa nu.19. ff. de Decr. ab ord. facien licet parum cautè appellet ordinē intellectus, quem nos appellamus cum S. Thom. & aliis ordinem intentionis, & non abs e. Quia fines ad voluntatem, cuius actus & intentio pertinent, & non ad intellectum. iuxta S. Tho. recept. l.sec.q.8.in p. in. & q.12.art.1.

<sup>p & L.i. §.  
buins stu-  
diij ff. de ia  
stie. & iar.</sup>

Addo 3. quod per hæc componi possunt 29  
antinomiae quædam & controversiae; quas nullibi legitimus satis compositas antequam nos scriptissemus repe. c. Inter verba. ii. q. 3. nu. 299. Prima est inter illud quod in confessio est, multis multis legibus renunciare posse. l. Quod fauore. C. de legib. <sup>i</sup> Et inter illud, <sup>q & cap.  
quod ob</sup>.

## 48 DE FIN. HV M. ACT V VM

gratiam. de illud, quod omnis lex est facta principaliter  
 reg. iur. lib. ob utilitatem publicam. Et quod nemo po-  
 test renunciare legi in fauorem publicum  
 & c. si dil- principaliter latæ. Ius publicum. ff. de pa. t.  
 gentis de fu- Componitur enim respondendo, quod hoc  
 so compet. posterius intelligendum est de lege, cuius  
 uterque finis primus tam secundum ordi-  
 nem intentionis, quam secundum ordinem  
 exequutionis, est publica utilitas. Illud au-  
 tem prius, de aliis: quarum finis primus est  
 utilitas priuata, secundum ordinem ex-  
 quutionis.

Altera controuersia est, inter glo. l. i. §.  
 Huius studij. ff. de Iust. & iur. & inter Can-  
 tabrum nostrum Fortunium dotibus in-  
 clytis & quæsitis ingenij, morum, & erudi-  
 tionis bene fortunatum, & in hac, ( quæ  
 omnium totius orbis nobilissima prouin-  
 cia est ) Italia omni litterarum genere illu-  
 stratum: in lib. de vlt. fine vtriusque iuris  
 in principio. Habet enim illa glo. vsque ad  
 illum recepta: Leges factas in fauorem su-  
 gulorum; vt minorum, mulierum, & simi-  
 lium; principaliter quidē factas esse ad vi-  
 litatem priuatorum, sed secundariò ad vi-  
 litatem publicam. Fortunius autem contra-  
 eas principaliter latas esse in fauorem pu-  
 blicum,

blicum, & secundario in priuatum. Componitur enim hæc controuersia; intelligentio verba illa principaliter, seu primò & secundariò glossæ, iuxta ordinem exequutionis; & non secundum ordinem intentionis. Verba vero Fortunij è contrario. Eodem omnino modo conciliari potest prædicta glossa. cum Archid. & communis, in d. c. Erit autem lex. 4. dist. Ut ibi olim cum Salmantice decreti cathedram regeremus, conciliauimus.

Est item alia inter præfatum Fortunium & communem antinomia, siue controuersia. Ille enim in lib. præfato de ultimo fine utriusque iuris in principio tenet; eundem esse utriusque iuris & canonici & ciuilis finem. Cuius contrarium tenent communis, quam sensit glo. c. Cum contingat de iure iur. verb. Debet communiter recepta & putata singul. ab And. Sic. in cap. In præsentia col. 3. de probat.<sup>a</sup> Sensit enim ius ciuile dirigere hominem in bonum publicum honestum, non curando de utilitate animæ. Ius vero canonicum dirigere hominem in utilitatem animæ, vitando eius periculum c. 2. de constit. lib. 6. ibi ut animarum periculis caueatur &c. Quod ipsum tenet Pan.

<sup>a</sup> & cap.  
nam concus-  
piscientiam.  
de constit.  
col. 3. & c.  
ceterum. ad  
7. de iura.  
cal. & cap.  
filius. col. 2.  
de testa. &

D

## 50 DE FIN. HVM. ACT V V M

nota. à Dō-  
 minic. c. 2.  
 de constit.  
 lib. 6.  
 in proœm. Greg. col. 10. post Card. & com-  
 munem. Omissa tamen altiori disputatione  
 breuiter & nouè dici possent quatuor. Pri-  
 mum, quod iuris ciuilis quatenus est tan-  
 tūm tale, & quatenus constituitur tantū per  
 potestatem sacerdotalē, quæ est naturalis;  
 ratione tantū naturaliter ducta non po-  
 test esse finis beatitudo & felicitas æterna;  
 ad quam Christiani & fideles tendimus, &  
 adipisci speramus. Quod probatur illo ir-  
 refragabili arguento, Nihil potest esse  
 finis alicuius liberè agentis, nisi ab eo præ-  
 cognitus. Quia ut post Arist. ait Aug. lib. 10.  
 de Trinit. & post eum S. Thom. I. sec. q. 3.  
 ar. 4. voluntas non fertur in incognitum. At  
 potestas sacerdotalis, quatenus est tantū ta-  
 lis, non cognoscit, nec cognoscere potest  
 præfatum finem: quia non potest cognos-  
 ci per solum naturale lumen, & rationem  
 naturalem, ergo non potest sibi præstituere  
 illum finem. Deinde patet eo quod potestas sacer-  
 dotalis est potestas naturaliter a Deo data  
 generi humano, quæ dirigitur per ius natu-  
 rale, rationemque naturalem & ius naturale. I.  
 dist. & in prin. 5. d. At ratio & cognitio natu-  
 ralis, non attingit supernaturalia: unde S. Th.  
 I. par. q. 1. & ipse cum Scoto & aliis omnibus  
 commen-

commentantibus , in prologo sententia-  
rum concludunt necessariam esse homini  
scientiam reuelatam , & supernaturalem  
ad hoc ut saluetur , & adipiscatur vitam  
æternam , quæ physicus & naturalis co-  
gnoscere non potest iuxta illud Esaiæ 64.  
Oculus non vidit, Deus absque te, quæ præ-  
parasti diligentibus te.

Secundum , quod felicitas humana hu-  
ius vitæ temporalis , quæ consistit in virtu-  
te morali , & naturali , quæque est vita vir-  
tuosa naturali rationi conformis , potest  
esse & est finis iuris ciuilis & legum sæcula-  
rium humanarum quatenus illæ tantū à po-  
testate naturali ratione feruntur, iuxta Ari-  
stot.lib. 5. Eth.& S. Tho.1.sec.q.95. art.2.&  
96.art.3. & satis probatur in procœmio de-  
cret. ibi. Lex proditor, vt appetitus noxius  
sub iuris regula limitetur , per quam genus  
humanum, vt honestè viuat , alterum non  
lædat , ius suum vnicuique tribuat , infor-  
matur.& in c. faſtæ 4.dist.Faſtæ sunt autem  
leges , vt earum metu humana coērceatur  
audacia , tutaque sit inter probos innocen-  
tia,& in ipsis improbis formidato suppicio  
refraenetur audacia,& nocendi facultas.

Tertium , quod iuris canonici siue Pon-

tificij , etiam quatenus est ius humanum per potestatem ecclesiasticam supernaturalem constitutum, potest esse . & est finis felicitas æterna , quam Christiani quærimus, & adipisci speramus. Tum quia hoc significant præfata ca. Cum contingat, de iure iur. & c. 12. de constit. lib. 6. Et etiam c. 1. de patetis. c. 1. de oper. nou. nunc. c. Quamuis patetum. de patet. lib. 6. c. Licet mulieres. de iure iur. cod. lib. totus tit. de summa Trinit. in decret. sexto & Cle. totus titulus de baptis. de celeb. miss. de poenit. & remiss. & multæ causæ : & quæstiones quæ in Decreto Gratiani ponuntur extrauag. Vnam sanctam, de Maior. & obed. canones item apostolorum, & concilia œcumenica & prouincialia in hunc finem principaliter habita. Tum quia ecclesia Christiana sicut à Christo clauem potentiae suæ summam , eandemque supernaturalem potestatem ligandi atque soluendi etiam mediantibus legibus accepit c. Quodcumque. 24. q. 1. & extrauag. Quia quorundam Io. 22. de verb. signif. ita etiæ accepit clauem scientiæ ac cognitionem fidei orthodoxæ, ut per prædicta constat , & ita legibus supernaturali potestate à se latissimè quoq; supernaturaliter, lumine fidei cognitum & præstituere potuit , & præstituit,

III.

C O M M E N T A R I V S. 53

III. quod iuris ciu. quatenus est à Christianis Imperatoribus & regibus etiam potestate naturali compositum, aut approbatum, finis potest esse, & est felicitas æterna, quam Christiani credimus & speramus. Quoniam licet potestas eorum sit tantum naturalis & nō possit ad supernaturalia extendi, habet tamē cognitionē fidei infusam, & acquisitā, qua cognoscunt, & credunt vitam quam Christiani querimus æternam: & ita ut omnia virtutum aliarum opera possunt in eam referre ac frequenter actū vel virtute referunt: ita etiam , suum ius, sūaque leges, quæ sunt opera quædam eorum præcipue possunt in eandem referre ac referunt. Quod satis constat ex inscriptione illa Cod. In nomine D. N. Iesu Christi & ff. In nomine Domini , & clariss ex l.i. & l. 2. & l. Inter claras cum his quæ inferuntur ei ex epistola Iustiniani de Sum. Trinit. & ex l.i. & 2. de vet. iur. enucl. & titulis de Episcop. & cler. & de Episcop. aud. & aliis multis. Quibus quatuor arbitror dītis, satis conciliari posse illa quæ præfatus eruditissimus Fortunius ait , cum his quæ cōmuni docet. Ex quibus infertur, id quod ipse persuadere nititur. Ius ciuile composi-

D 3

## 54 DE FIN. HVM. ACT VVM

tum à Iustiniano ex mente ipsius explicita  
vel implicita ita interpretādum, vt non fue-  
rit ei vlla intentio contraueniendi sacrī ca-  
nonibus legitimè ab ecclesia, Papa, & con-  
ciliis oecumenicis ante illum latis, vel postea  
ferendis : quoad ea quæ ad vitam æternam  
consequendam sunt necessaria.

## S V M M A R I V M.

*Actus cuiuscunque virtutis, quālibet bonus, & princi-  
paliter fiat ob bonum temporale sive pecuniarium  
sive honorarium malus. num. 30.*

*Regula illa cuius finis malus est &c. sine ulla exceptione  
ueria. num. 30.*

*Bona virtutis & anima p̄stantiora bonis corporali-  
bus & utilibus. num. 30.*

*Fortia facta ob honorem aut pudorem peccata. nu-  
mero 31.*

*Actus virtutum facti principaliter ob salutem, & uitam  
mali, secundum Adrianum. Id tamen non esse heret  
in omnibus. num. 32.*

*Actus virtutis iuste fit minus principaliter ob tempora-  
lia bona. num. 33.*

*Finis iustus omnium actuum, omnium virtutum Deus.  
Beatitudo & virtus, ut comprehendit diuinam, & hu-  
manam & ratio, ut est genus ad naturalem, & super-  
naturalem. num. 34.*

*Finc quo satisfit obligationi ponendi fine actui. num. 35.*

*Finis malus, quia malū culpas & finis malus, quia impa-  
tias, nullum dicitur. num. 36.*

Ex

**E**X quarta finis diuisione posita su  
pra num. 8. in bonum & malum,  
& membrorum diffinitionibus,  
colligitur primo. Quod quicunq;  
aliquem virtutis actum agit , principaliter  
ob bonum aliquod temporale pecunia-  
rium , immo & honorarium , quod pecu-  
niario maius est , peccat, si actualiter vel  
virtualiter non referat illud in Deum , aut  
beatitudinem , vel in aliquam virtutem ei  
conuenientem generalem , vel specialem.  
Tum , quia sine vila exceptione vera est il-  
la regula topica supra num. i. citata. Cuius  
finis malus est , ipsum quoque malum est;  
fundata in hoc c. Cum minister , & aliis  
postea citandis ; licet altera eius germana ,  
scilicet , Cuius finis bonus est , ipsum quoque  
bonum est , frequenter sit falsa . c. forte , quod  
de furante ad eleemosynam facienda agit ,  
& c. Denique 14.q.6. At finis medio minor  
ineptus est , & consequenter malus. Et con-  
stat virtutes , & animæ bona præstare bonis  
corporalibus , & utilibus c. Deteriores . 6.q.1.  
ergo hæc inepta sunt ut illorum fiant scopi  
& fines . & per consequuntionē , qui ea facit , fi-  
nem principalem actus virtutis , inordinate  
malēq; facit. Tum per illud Persij ab omni

## 56 DE FIN. HV M. ACT V V M

schola Christiana receptum. Recti finem, extremumq; esse recuso. Euge tuū & belle. Tum quia grauiissimè id determinat Adri. Quodlib.q.1. per illa verba. Qui vult bene agere, Deo placere, iustè iudicare, liberalē, fortē, magnanimum, temperatum se exhibere, propter honorem corporis salutem, siue intēdat, vt finem totalem, siue vt finem partialem, aētus neque iustus nec liberalis, neque magnanimus est: sed agit malē, & peccat. Per dictum item Arist. Ethic.3. omnium sententiae consonum. Qui quamlibet strenuē pugnet: si ob honorem, & gloriam, vel pudorem id facit, non agit fortiter, sed virtuosē. Et per illud August. relatum per Magistrum, & alios in 2.dist.38. & à S.Th. Quodlib.2.art.2. Qui ob viētum prædicat, non meretur, sed peccat. Et Caiet. super Matth.cap.7.pag.2. Qui largitur eleemosynam, vt laudetur, saltem vñialiter peccat. Et ante illos Gratian.c.fi 23.q.6. Qui dat ob pudorem, & rem & merita perdit. Neque bene agit qui bonum ob timorem agit.

32 Ampliandam esē conclusionem hanc etiam ad cum, qui agit aliquem virtutis actum ob corporis salutem, exp̄res̄it pr̄fatus Adrianus, vbi supra, sed contra putamus

mus. Tum quia sub nus diximus, vitam, & bona delectabilia iustè posse amari & appeti propter se tantum. Cui cōsequens est, iustè illa fieri posse finem aliquarū bonarum operationum. Tum quod alioqui cōsequetur, quod actus abstinentiā à nimio cibo, & potu, qui sunt actus virtutis abstinentiæ, & sobrietatis, ad conseruandam salutem & vitam: Vti etiam pharmacis, & aliis medicinis, ad recuperandam salutem amissam, esset peccatum. Quod est contra omnium doctorum mentem. Quare illud Adriani arbitror limitandum, vt solum habeat locum, in actibus virtutum maiorum virtutibus illis, quorū actus iustè ordinari possunt ad salutē & vitam. Quales sunt amor Dei, & actus spei, & religionis. Quarum finis aptus & proportionatus nequit esse salus & vita hominis. Vnde qui amaret Deum, vel crederet in eum, vel speraret in eo, vel eum veneraretur principaliter propter salutem, & vitam suam conseruandam, peccaret. Quia de illo, quod est minus bonum faceret finem maioris boni. Ille vero qui actum abstinentiæ, sobrietatis, temperatiæ, continentiæ & aliarum similiū virtutum, finem faceret suam vitam, & salutem, non

D 5 pecca

38 DE FIN. HVM. ACTVVM

peccaret. Immo si alia in id necessaria con-  
current, mereretur.

33 Ampliaret etiam aliquis hanc conclusio-  
nem per præfati Adria. dictum, etiam ad  
actus qui licet principaliter fierent propter  
finem debitum, minus tamen principaliter  
fierent propter bona vtilia, eo quod ipse  
ait præfatam conclusionem esse veram, si-  
ue ille finis sit totalis, siue partialis. Sed non  
recte faceret, qui sic ampliaret eam. Immo  
est limitanda ut solum intelligatur de fine  
principalis, & non de minus principalis. Quia  
nihil ait Adrianus de fine minus principali,  
sed solum de partiali, qui frequenter est  
principalis. Quoniam duo fines partiales  
possunt esse principales vnius, & eiusdem  
actus. s. Affinitatis, Instit. de nupt. & infra  
dicemus exemplum de ieunio, quo quis ie-  
junat dies quatuor temporum quadragesi-  
mæ, in finem satisfaciendi præcepto de ie-  
junando dies quatuor temporum, & in fi-  
nem satisfaciendi præcepto de iejunanda  
quadragesima. Qui duo fines sunt quidem  
partiales, sed principales.

34 Colligitur 2. quod omnium actuum qua-  
rumcunque virtutum finis principalis ap-  
similis & optimus est Deus ipse, qui est ul-  
timus

timus finis cuius, omnium rerum. Beatus item, quia est ultimus finis quo, potest esse finis & principium omnium actuum intellectus & rationis, quamvis nequeat esse finis principalis charitatis & amoris Dei: qui propter se ipsum solum principaliter est diligendus. Ut S. Tho. declarat 2. sec. q. 27. art. 3. Virtus item in genere, & recta ratio, sunt fines boni & apti omnium virtutum & actuum illarum. Quisquis enim agit iusta, fortia, & temperata; quisquis amat Deum, vel credit in eum, vel sperat in eo; quia id facere est virtus Theologa, vel moralis, vel quia ratio naturalis, vel supernaturalis id dicit, bene facit. Quælibet etiam virtus est finis aptus actuum ad eam conuenientium. Qui enim iusta facit, quia iusta sunt, qui fortia, quia fortia sunt: quicunque temperata, quia temperata sunt: bene facit. Finis item aptus est etiam quælibet virtus altior, & maior respectu cuiuslibet actus inferioris virtutis. Nam qui iusta, fortia, vel temperata facit, ut placeat Deo; vel ut charitas, fides, & spes magis ac magis augeatur in eo, rectissime agit.

Tertiò colligitur, quod obligationi 35  
quam omnes habemus præstituendi fines  
bonos

bonos, & aptos omnibus nostris actibus de liberatis, vt in præludio S. Manualis, diximus; satisfacimus optimè quidē, si eos agamus, vt Deo placeamus; & egregiè, si vt sumus beati: & sufficienter, si eo quod sunt recti vel honesti, seu virtuosi; seu quia recta ratio diuina, vel humana id dicitat. Nam quodlibet horū, quae in effectu idem sunt, licet verbis differant, est iustus generalis finis omnium actuum quarilibet virtutum. Sufficienter item satisfacit præfatæ obligationi, qui aliquod iustum facit, quia iustum est; vel forte, quia forte est; & modestum, quia modestum est. &c. Quia quælibet virtus specialis est iustus finis actuum ad eam pertinentium. Satisfacit etiam, qui ieunat, aut refrænat iram, vt anima & corpus quædam tenus Deo sacrificet. Quia virtutem altiorē, scilicet religionis, facit finē actuum virtutum inferiorum, videlicet abstinentia, & mansuetudinis. Non tamen contra satisfaceret, qui oraret, vel sacrificaret principaliiter vt abstinens fieret. Quia virtutem inferiorem faceret finem principalem actus virtutis superioris. Quod non licet per prædicta.

36 Quartò infertur, quod finis malus, eo quod

quod sit malum culpæ, & malus, non eo quod est malum culpæ, sed quia ineptus est, eo quod sit medio minor, plurimum differunt. Primo quidem, quia ille non potest esse finis principalis, neque minus principalis actus boni, etiam si tantum veniale malum sit. Hic autem licet non possit esse finis principalis, potest tamen esse minus principalis. Ieiunare siquidem, & orare, immo & diligenter Deum, si ea etiam minus principaliter, ob fructum paruum, veniale tantum, vel ob inanem, (quæ venialis tantum sit,) gloriam agas, peccas: etiam si principaliter ob Deum ipsum ea feceris. Qui autem illa principaliter facit ob Deum, beatitudinem vel virtutem, siue quia recta sunt, non peccat: etiam si minus principaliter, ob ea speret assequi aliquid bonum temporale, pecuniarium, vel honorarium ut mox probabitur. Secundo differunt; quod ille nulla relatione ad superiorem finem potest fieri aptus, hic autem sic. Qui enim ieiunat ut furetur ad datum pauperibus, peccat. Quia ut dictum est supra n. 15. nullum peccatum rectificatur, per eius in finem bonū relationē. Qui autem ieiunat ob pecuniam, quam ob id sperat, ad hoc ut eam pauperibus eroget, non

non peccat: immo bene meretur. Quia illa  
pecuniaæ acquisitio in erogationem paupe-  
ribus amore Dei faciendum, relata; trans-  
formatur in finem charitatis: quæ finis  
omnium operum bonorum sanctissimus  
esse potest.

## S V M M A R I V M.

Causa finalis incaute diffinitur in Bartho.nu.37.

Finem principalem non arguit cessatio operis, illo ce-  
fante.nu.37.

Fines multi possunt esse principales eiusdem actus.n.37.  
Actus omnis cuius finis etiam minus principalis est ma-  
lus, malus.nu.38.

Finis minus principalis nullius actus uirtutis potest esse  
bonum temporale.nu.39.

Finis minus principalis inferuentis Deo, ecclesie &  
prælato, potest esse beneficium ecclesiasticum; & mu-  
tuantis lucrum.nu.39.

Mutuans iustè sperat lucrum minus principaliter.nu.39.

Distributiones ob lucrandas minus iustè surgitur, nu.39.  
Poenas qui statuunt, & qui ob eas obediunt, ut peccati  
num.40.

Timor seruili qui bonus, & qui malus.nu.40.

Præmia qui statuunt, & qui ea querunt ut peccat. n.41.

Timore Deo seruienti, q̄ bene, & qui male merctur.n.41.

Timorem quem non compatitur charitas.n.42.

Finis principalis orationis iustus nequeunt esse tempo-  
ralia.nu.43.

Finis minus principalis, & obiectum orationis possit  
esse temporalia, non autem finis principali.nu.43.

Ex

**E**X quinta finis diuisione supra num. 9. posita , in principalem & minus principalem, eorumq; difinitionibus , infertur , primò , quòd parum cauta est diffinitio finis , seu causæ principalis finalis . Bar. in l. 2. §. fi. ff. de donat. & quam sensit glossa . l. 1. §. Sexum. ff. de postulan. & alij quos citauit in repet. cap. Inter verba. nu. 89. 11. q. 3. videlicet , esse finem quo cessante cessat opus . Tum quia illa multis finibus minus principalibus conuenit . per prædicta in dicto nume. 9. Tum quòd alioqui paucissima essent opera etiā in sece bona , quæ nō essent peccata . Omnes enim virtutum aëtus , quorum finis principalis est aliquod bonum temporale , est pecatum . vt supra nume. 30. probatum est . & rarissimi sunt qui , nisi ob ea speraretur aliiquid temporale , illa facerent . iuxta illud Iuuenal . Quis virtutem amplectitur vnam , præmia si tollas . Tum quia licet operis cœfatio , cessante causa , sit aliqua coniectura quoad forum exterius . quòd sit principalis , non tamen concludit ; & quoad forum interius nihil ferè facit . Quoniam quoad illud aestimatio animi , qua sic vel sic aestimantur causæ , facit vt alia sit principalis , alia vero minùs

<sup>s</sup> Et in ea.  
Cum cessauit  
te de appetitu.

## 64 DE FIN. HVM. ACT VVM

minùs principalis.

Secundò infertur , quòd vnum & idem actus potest habere multos fines principales, & multos minus principales, & multos, quorū aliis, vel alij sunt principales, & aliis vel alij minus principales. Pro quo est §.

*B. Et l.libro  
rum. ff de  
his qui no-  
tatur infa.  
vbi C' in  
l.l.n.28 ff.  
solut. matr.  
B. 11.1.*

Affinitatis. Inst.de nupt. \* Potest enim quis ieiunare principaliter vno & eodem die, quò fiat abstinentia; & quò præcepto ecclesiæ obediat:& quò pro peccatis satisfaciat: & quò Deo placeat. Et primo fine meritum abstinentiæ meretur ; secundo obedientiæ; tertio pœnitentiæ; quarto Charitatis. vt pri- dem diximus,in cap.Fratres.n.117. de pœn- dist.5. Quod plurimum nos mouere debet ad facienda bona ob multos fines bonos: quò multa merita eadem opera , & labore quæramus;referendo in multos fines prin- cipales ea quæ ob vnum tantum facimus. vt in prædicto exemplo.

Tertiò infertur,quòd omnis actus quam- libet bonus , cuius finis siue principalis siue minus principalis est malum culpæ , saltē venialiter adeo est malus,vt nulla relatione in bonum aliquod etiam summum,fieri po- test bonus. Nec obstat quòd subtiliter op- ponī potest dixisse nos supra; num.35. quòd finis

**f**inis malus, eo solo quod est ineptus ad hoc  
ut sit finis principalis potest esse bonus, si  
referatur in altiorem finem, putat actus iu-  
dicandi ac consulendi ob amorem pecuniae,  
propter ipsammet solam, est peccatum, fal-  
tem veniale; fieri potest bonus referendo pe-  
cuniariam ad largiendam eleemosynam, vel  
ad honeste vivendum. Non inquam, hoc  
obstat. Quia consulere vel iudicare ob pe-  
cuniariam propter se solam, est alius actus ab  
actu consulendi, & iudicandi propter pecu-  
niariam in praedictos fines relatam. & ita non  
probat argumentum, quod idem actus qui  
est malus ob finem malum culpe, fiat bonus  
per relationem finis illius in aliu maiorem.  
Quamuis probet quod una & eadem res,  
qua propter se tantum desiderata inficit de-  
siderium, eadem propter aliud desiderata re-  
stificat illud. Sed illa desideria non sunt  
unum, neque possunt esse; quia secum pu-  
gnant; sed duo quorum alterum est bo-  
num, & alterum malum.

III. infertur, quod licet nullius actus  
virtutis finis principalis possit esse bonum  
temporale. Immo quilibet actus virtutis  
quamlibet in se bonus, efficiatur malus, si  
sit principaliter ob aliquod bonum tem-

E

porale; non tamen si fiat minus principali-  
ter ob illud. Primo quidem, per illud Psal-  
118. Inclinaui cor meum ad faciendas iusti-  
ficationes tuas in aeternum propter retribu-  
tionem. vbi verbum propter significat cau-  
sam impulsuam, siue finem minus prin-  
cipalem. Quod significare aliquando dicit S.  
Tho. supra. nu. 3. citatus in 2. sec. q. 27. art. 8.  
Deinde quod Urbanus Papa in c. si officia  
59. dist. & Cælestinus. in c. Quid proderit  
61. dist. determinarunt licere clericis seruire  
Deo in ecclesiis, ob spem ascendendi ad di-  
gnitates illarum. Immo Gelasius in c. Con-  
fusluit 74. dist. dixit in hæc verba, Cōmoda  
presbyteri propensius quam diaconi con-  
sequantur, ut hac saltem ratione constrikti,  
& honorem quem fugerat appetere nitan-  
tur, & quæstū. Tertio quod Valerius Max.  
lib. 2. cap. 1. de Areopago, ait uberrimū vir-  
tutis alimentum esse honorem. & Cicero  
Christianis probatus, & ab Aug. relatus lib.  
5. de Ciuit. Dei cap. 2. Honor alit artes. & Ju-  
uenalis Satyr. 10. Quis virtutem amplecti-  
tur ipsam præmia si tollas? Quartò quod  
glossa recepta in d. c. Qui proderit, dicit ex-  
pressè per illum textum, licere clero ser-  
uire in ecclesia, ad querendam aliquam dī-  
gnitatem,

gnitatem, modo principaliter ob id nō seruat. Cui similis est glo.i.c. Hoc ad nos. 59. dist. Quintò quòd glo.c. Consuluit de usur. habet, quòd licet peccet qui mutuat principaliter ob lucrum, non tamen qui principaliter id facit ut iuuet proximum, & quia id ratio dicit: Quāmuis minus principaliter, & secundariò id speret. & glo.c. Cum esset. de Symon. & c. Cùm ad nostram de elect. aiunt. Symoniam quidem admittere illum, qui prælato inseruit principaliter ob beneficium ecclesiasticū præsertim interueniente pacto. Non autem qui principaliter ob alium iustum respectum inseruit; licet seundario, & minus principaliter ob illam spem inseruiat. Quod pulchrè de more declarat Adrian. quodlib. 9. artic. 2. sub litera LM N O. Facit denique glo. illa celebrima. c.i de cleric.nō residen.lib. 6. quæ ait; peccare quidem eum qui surgit ad matutinas preces principaliter propter distributio-nes quotidianas. Non autem illū qui surgit principaliter vt Deo inseruiat, & minus principaliter & secundariò, vt eas lucretur.

V. infertur ratio excusandi superiores  
præcipientes aliqua sub poena temporali, &  
subditos obedientes ob eam eis; Qualia

## 68 DE FIN. HVM. ACTVVM

sunt citata per Gratian.in c.1.2.3. & 4.2.5.q.

*v. & c. ir.  
refragabili.  
de offic. ord.  
&c. Ut cle  
ricerum. de  
rit. & ho  
nest. cleric.*

6.<sup>o</sup> cum multis aliis pontificiis & Cæsareis decretis, quibus superiores metu poenarum cogunt subditos ad agendum bona, & ad abstinentiam à malis. Videri enim posset alicui, hoc esse peccatum, eo quod videatur incitare subditos ad peccandum; nempe ad obediendū ob finem excusandi se à poena temporali; quod est quoddam bonum temporale, & tale bonum nō potest esse finis actus virtutis. & si subditi peccaret obediendo propter poenam, peccarent etiam superiores præcipiendo aliquid sub ea. Quia facientes & consentientes. &c. Motum.

*x & ca. s.  
de offic. de  
lx.*

q.<sup>o</sup> Sed ratio excusandi à peccato tam superiores, quam subditos est, quod ipsis non statuunt poenas ea mente, vt subditi principaliter ob eas obediant. Quia id esset velle vt peccent; & consequenter ipsis peccarent dicto c. Notum. 2. q. 1. Sed potius ea vt inferiores obediant principaliter ob virtutem, & minus principaliter ob poenas. Et ita non peccant: quia non iubent quicquam, quod sine peccato nequeat impleri per inferiores si velint. Et si ipsi obediant eis principaliter vt cuident poenam; peccant quidem quoad forū interius, non culpa superiorum.

sec

sed sua propria : cùm possint ea sanctè im-  
plere solius virtutis amore , aut saltem eius  
amore principaliter , & minus principaliter  
poenæ timore: amplectentes illud: Oderunt  
peccare boni virtutis amore . & fugientes il-  
lud: Oderūt peccare mali formidine poenæ.  
Itaque quicunque principaliter præcipiunt  
vel obediunt ad poenam , peccat quoad fo-  
rum interius ; Qui verò principaliter ob  
virtutem , & minùs principaliter propter  
poenam , rectè agunt. Qui verò penitus ob  
solam virtutem obediunt, inclīus agunt : &  
experientur illud falsum dictum glo.c.i. de  
collus. deteg. Deus non est remunerator  
verborum sed aduerbiorum , id est non re-  
munerat bona facta, sed bene facta.

V I. Infertur ratio qua excusantur legis- 41  
latores, & alij p̄ij & eruditii , qui in Indiis &  
alibi solent invitare fideles muneribus &  
blanditiis ad finem catholicam: & parentes  
filias ad religionem ne innuptæ pereant , &  
heri siue domini qui promittunt præmia fa-  
mulis confitentibus & cōmunicantibus ex-  
tra quadragesimā ; & qui statuunt in ecclē-  
siis distributiones quotidianas horis cano-  
nicis interestentibus. Licet enim secūdo vi-  
deri possent peccare eò quòd incitat ad fa-

## 75. DE FIN. HV M. ACT V V M

ciendum actus virtutū propter bona temporalia,& sic ad peccandum, excusantur tam  
men eò quòd qui talia promittunt,& statuunt  
non ea mente id faciūt, vt ij quibus Illa pro-  
mittuntur, ob ea principalier moueātur; sed  
vt per ea veluti per calcaria , minus princi-  
paliter moti & impulsi, ea bona principali-  
ter ob Deum , vel virtutem faciant. Sic  
gl.singularis, quæ penultima est,c.1.de Cle-  
ric. non resid.lib.6. probè sensit. Nam qui  
contraria mente mouerent, vel moueren-  
tur , peccarent.

42. VII. Infertur, quòd omnia illa quæ pro-  
bant licitum esse seruire Deo ob timorem  
malorum, vel amorem bonorum. quale est  
illud Matth.10. Eum timete qui potest ani-  
mam & corpus perdere in gehennam: vbi  
timete, significat, seruite cù timore. Secun-  
dum Gratia.23.q.4.in summa. Qualia item  
alia multa , quibus olim sub lege naturæ &  
Mosayca,& post eas sub lege gratiæ , Deus  
ipse multos ad iustitiam, vel ad augmētum  
eius traxit , & trahit amore bonorum tem-  
poralium , & timore malorum tempora-  
lium vel æternorum.iuxta illud Esai. 1. Bo-  
na terra comedetis adiuncto c. Nō omnis-  
s. q.5.<sup>y</sup> Quòd omnia inquam intelligenda  
sunt

*y e.Nabu-  
chodonosor.  
23 q.4.*

## C O M M E N T A R I V S.

78

Sunt de amore quo bona temporalia minus principaliter timentur. Timor enim seruilis quo principalius mala poenæ timentur, quam malum culpæ, & qui hominē ita afficit, ut nolit peccare propter poenā, peccatus si ea non immineret, peccatum est, & mortiferum quidē, si tale est illud, à quo propter timorem abstinet. Nec eum charitas compatitur, sed seruilis ille quo timetur quidem malum poenæ, sed minus principaliter & minus quam malum culpæ, & quo ad Deum accedimus, bonus est, & donum Dei: ut colligitur ex S. Thom. 2. sec. q. 19. per totam præsertim art. 4.

VII. Infertur, non obstarere prædictis 43 quod licet petere à Deo temporalia. iuxta illud Pro. 30. Tribue vieti meo necessaria. & quod illud licet desiderare, quod licet & petere. Aug. lib. de orando Deum, ad Probam. Et quod iuxta doctrinā dominicam Mat. 6. & Luc. 11. qua docuit nos petere panem nostrū quotidianum. Et quod petitio à Deo, aliud est virtutis, & non qualis qualis, sed religionis, quæ est moralium supraemam iuxta S. Th. 2. sec. q. 81. art. 6.<sup>2</sup> Infertur inquam, hæc non obstarere. Quia aliud est obiectum vel materia actus virtutis, siue finis opera-

z. Et l. Pe-  
lusi. ff. de in-  
bit. & iur.

tionis de quo agunt prædicta. Quod concedimus esse frequentissimè bonum temporale. aliud finis operarij & principalis, de quo loquimur. Vnde qui petit à Deo videt vel temporalia bona non debet facere illa finem orationis suæ principalem, sed ipsum Deum cui obsequitur orando vel volendo ad obsequendum ei, vel in gloriam eius. Quod utinam omnes animaduertamus, licet possit facere minus principalem.

## S V M M M A R I V M.

*Finis* principalis actus iurutis nequeunt esse Laus, honor, fama & gloria. num. 44.

Intellectus illius Pauli; *Qui gloriatur in domino gloriatur* &c. num. 44.

Prædicanti ob gloriam humanam non queritur laureola doctoralis. num. 44.

Bona honoraria esse bona fortunæ, ineptaq; ut sint finis principalis iurutis. num. 44.

Possunt autem esse finis minus principalis. num. 45.

Restitutio bonorum pecuniariorum excusat si fieri non potest, absque amissione honorariorum. nu. 45.

Brauea ad honorem incitania licita. nu. 45.

Coronas honoris uariis, pro uariis gestis Roma insuit. num. 45.

Laureæ honoris literari.e tres, baccalaureatus, licentius & doctoratus. nu. 45.

Honoraria bona que probant esse inepta pro fine della iurutis, intelligenda de fine principali, & que contr

C O M M E N T A R I V S.

37

riūm probant de minus principali. nū. 46.

Laus quid, & in quo ab honore differat. nū. 47.

Laus etiam sine sermone literis sacris & canonickis. nū.  
mero 47.

Laus non solum utrtuti, sed etiam alijs bonis debita. nū.  
mero 47.

Honor quid? nū. 48.

Fama quid? & aliter quam à iuris consulto diffinita. nū.  
mero 48.

Gloria quid? nū. 49.

Reuerentia quid? nū. 49.

Honoraria bona, frēuerentia, laus, fama, honor & glo-  
ria conueniunt. Primo quod nūquām aliud pro alio  
ponit, secundō quod nullum eorum est virtus, &  
quod bona externa fortunae, excepta aliquando re-  
uerentia, & quod non sunt propter se amanda. nū. 50.  
Tertiō quod omnia illa sunt maiora quam pecunia-  
ria. quartō quod sunt minora quam uita & alia cor-  
poralia bona. nū. 51.

Intellectus. l. Isti quidem ff. Quod met. cau. nū. 51.

Intellectus. l. Codicillis. §. Matre ff. de leg. 2. nū. 52.

Patrem magis tenetur diligere filius quam filium. nū. 52.

Adulterij peccato cur maius homicidium. nū. 52.

Gloria Romani gentiles cur uitæ præponebant. nū. 52.

Honore pro seruando moriendum uulgatum elogium, sed  
error, nisi intelligatur, & c. nū. 53.

Gloria pro seruanda non obijisse Eleazarum, sed pro  
virtute: que gloriam meretur. nū. 53.

Vitam honori & gloria, & uirtutem uirtuti preferen-  
dam. nū. 53.

E 5

44



Ono infertur, quod quinque illa bona honoraria, videlicet reuerentia, laus, honor, fama & gloria humana, non possunt esse fines principales alicuius actus virtutis; & quod quicunque ob ea principaliter facit aliquid, peccat: etiam si illud, quod facit de se sit maximè bonum. Primò quidē per illud Matt. 6. Attendite ne iustitiam vestram faciat is corā hominibus, vt videamini ab eis: aliqui mercedem non habebitis apud patrem vestrū, qui in cælis est. Et paulo post, Quomodo potestis vos credere, qui gloriam ab inuicem accipitis: Per quod August. lib. 5. de Ciuit. Dei cap. 14. ait. Amorem gloriæ humanæ fidei Christianæ obuiare; ad perditionem eius disponendo. Secundò per illud Pauli. 2. ad Corint. 10. Qui gloriatur, in domino gloriatur: i. qui appetit gloriam, non appetat humanam, sed diuinam, quam cognoscendo, & amando Deum, & ea quæ ab eo habet, accepta ferendo illi, in eiūsq; gloriam referendo assequetur. vt in effectu ait S. Thom. super eod. cap. 10. Et colligitur ex eo quod subiungit, Non enim qui se ipsum commendat ille probatus est, sed quē Deus commendat. I 1. per illud August. lib. 5. c. 13.

de

de Ciuit.Dei. Sanius videt qui laudis amorem vitium esse cognoscit. I i i .quòd per illud ait Bern.in sermonibus paruis fol.18. Laudem exteriorem hominū esse vanam, & interiorem conscientiæ minime sufficeret. Ideoque diuinam qua laudemur querendam. Et per illud eiusdem Bernar. serm.3.super Cant.col.3.sunt qui scire volunt ut sciantur : & turpis vanitas est. V. Quòd S.Tho. Quodlib.3.art.12. concludit non quæri laudolam in cælo doctoralem, prædicanti bene ob gloriam. Et Arist.Ethic.i.ait, Non esse magnanimo curandum ut laudetur. & quidam sapiens ad quendam philodoxum dixit. Summa laus est non ambire laudem. Et Salust.de Catone. Quo minus quærebat gloriam, magis eum illa sequebatur. Postremò per rationem qua fundat hæc omnia ille irrefragabilis sylogismus in secundo modo primæ figuræ , quem appellant Cелarent, scilicet , Nullum temporale bonum fortunæ potest esse finis iustus principalis illius actus virtutis, ut supra num.30.latè probatum est. Ad quodlibet horum quinque est bonum temporale fortunæ, ut supra nū.3. probatum fuit. Ergo nullum illorum potest esse iustus finis principalis illius actus virtutis

virtutis. Per quam eandem rationem syllabicam significatur omnes prædictas authoritates , & alias eis similes intelligendas esse de illis , qui finem principalem suorum actuum aliquod horum quinq; faciunt; aut de illis qui hæc ea parte qua sunt vana vel mala querunt. Quod quando contingat infra dicetur: Per quam intelligentiam responderi potest eis, quatenus sequenti conclusione contraire videri possint.

45 X. Infertur quòd præfata quinque, scilicet reuerentia , laus, honor, fama . & gloria possunt esse fines minus principales actuum virtutum, & quòd qui eos agit, ob ea minus principaliter respecta, nō peccat. Quod probatur primo per illud Matth.5. Luceat lux vestra coram hominibus. & illud, Sint lucet næ ardentes in manib; vestris. Luc.12. Secundo per illum Pauli 2.ad Corinth.1. relatum in cap. Inter verba.ii.q.3: Gloria nostra hæc est testimonium conscientiæ nostræ. Et ne dicas eos agere de laude diuina, pondera, quod loquuntur de laude conscientiæ propriæ, quæ est creatura. I i i. quòd id efficiaciter probatur, eo quòd bona pecuniaria licet possunt peti à Deo, & appeti, & profane minus principali poni , vt suprà num. 4L proba

probatum est. At bona honoraria qualia sunt illa quinque maiora sunt , quām pecunaria.iuxta illud Proverb.21.melius est nō men bonum quām diuitiae multæ. Et illud Eccles. 41. Curam habe de bono nomine; magis enim permanebit illud , quām mille thesauri magni pretiosi. & illud Aristot.4. Ethic. Honor est maximum bonorum, receptum à S. Thom.in multis locis , præser-tim.2.sec.q.119.artic.1.ad 2. Cui consonat.l. In pecudum.§.fin.ff.de vñsur. <sup>a</sup> Quod adeò quidem est verum,vt excusetur quis à restituendo bona pecuniaria,quandiu nequit ea restituere saluis honorariis. vt probat Caiet.lib.17.resp.q.14. quem nos sequimur in Manuali.cap. 17.nu.44. Cum igitur omnium consensu , liceat desiderare bona pecunaria , & pro fine minus principali ponere, à fortiori licebit desiderare , & pro tali fine ponere honoraria. argu.cap. Cum in cunctis de elect. <sup>b</sup> I 111. quod brauēis & coroniis propositis , olim sapientes procurarunt incitare homines, ad honorem,& gloriam querendam. Athenienses cùm oliuarum corona Periclem illustrassent, polliciti fuerunt eundem honorem eis, qui similes illi quadrerent.authore Valerio Max.l.2.cap.1.

Arcopag

<sup>a</sup> & gl. po  
nu.c. suam.  
de pñn. &  
gl. extraua.  
*Ad condit  
orē. Io.2.2.*  
vers. Hono.  
de ver. sig.

<sup>b</sup> & Au-  
thē. Multo  
magis. C. de  
sacros.

## 78 DE FIN. HV M. ACTVVM

Arcopagi. Et Plinius testatur populu Rom. cuius legibus totus fermè Christianus orbis vtitur , varias coronas pro variis gestis instituisse: nempe,cnuicas,vallares,murales, rostrales , &c. Quin & Christiani passim, etiam Pontif.Max.authore, varias in variis regnis instituerunt academias , & honores Mineruales; vt laureas primas , quas bacc Laureatus; & secundas , quas licenciatus; & tertias,quas doctoratus vocant,vt ad studio sitatem & literarum studia,magis,ac magis accedantur scholastici . quod vtique non permitteretur nisi licite illa possent esse fines minus principales actuum virtutis studiositatis,& aliarum.

X i.infertur,quòd vt omnia quæ allegari possunt ad probandum nil horum quinque debere appeti , nec ob aliquod horum fieri sunt intelligenda de illis , quando pro fine principali ponuntur , vel quando sunt vana, vel mala. vt diximus in fine corollarij 8. Ita omnia quæ adduci possunt ad probandum quòd illa possunt appeti , & ob ea fieri aliquid,sunt intelligenda de illis, quando non sunt vana , neque mala , & pro fine minus principali ponuntur. Per quam resolutionē,quā plurima subobscura clarescunt

Xii

XI. Infertur dicendū esse, quid sunt & 47.

**i**n quibus differant quinque præfata bona,  
scilicet reuerentia, laus, honor, fama, & glo-  
ria. Et laus quidem diffinitur esse sermo elu-  
cidans magnitudinem virtutis. Secundum  
Aristot. i. & 2. Rhetor. <sup>c & s. Th.</sup> Cui diffinitioni, licet  
<sup>Psal. 17.</sup> ab omnibus probetur, addenda est particu-  
la: Quatenus est ad aliquem finem ordina-  
ta. Quia ut S. Thom. afferit in 2. sec. q. 103.  
art. r. ad 3. <sup>d. Et D.</sup> laus ab honore differt, eo quod  
hic est testimonium absolutum alicuius ex-  
cellētiæ, verbis, vel alio signo exteriori ex-  
hibitum: Illa verò testimonium relatiuum  
alicuius excellentiæ, referens eam in alium  
finem verbis tantum exhibitum. Vnde A-  
ristot. i. Ethic. dixit, optimorum non esse lau-  
dem, sed aliquid maius ea, quia optimum  
non refertur in aliud. Per quod ubi supra  
dixit S. Thom. Deo secundum illam eius  
ineffabilem essentiam, non conuenire lau-  
dem, sed summam latrīæ reuerētiā, & ho-  
norem. Quia est maior omni laude. Eccles.  
43. secundum verò effectus eius qui in utili-  
tatem nostram ordinantur, sic. iuxta illud  
Esa. 63. Miserationum domini recordabor;  
laus Domini super omnibus quæ redi-  
dit nobis dominus. Et Clem. si dominum  
in san-

<sup>a</sup> Ante. 4.  
parte tis. s.  
cap. 10. §. 1.  
sub fine.

## 30 DE FIN. HVM. ACT V V M

in sanctis eius laudare iubemur , de reliq<sup>ue</sup>  
Vener.Sanct. Qua de differentia pulchritudine  
dixit quidam,

*Est honor in portu cum puppis ab equore uenit.  
Laudibus incepturn continetur opus.*

Addendum item secundo quod sacrae literae , sacrique canones per verbum laus non solum intelligunt illam exteriorem, quam verbis fit , cui soli diffinitio praefata conuenit, sed etiam & magis interiorem, qua Deum Angeli laudant.iuxta illud, Laudate Deum omnes Angeli eius.

Psal.148. Qua creditur Zacharias mutus laudasse.Luc.2.& multi audientes Apostolo,ad Colos.3.<sup>e</sup> Cantant & psallunt in coribus suis domino.Addendum tertio quod per illud verbum,virtutis,in definitione positum,intelligendum est omne bonum etiam si non sit morale. Qualia sunt,ingenium,modicium,memoria,eruditio,ars,yires,agilitas,& alia multa quae iure laudantur.

48 Honor autem diffinitur ut prae dictum est , exhibitio reuerentiae in testimonium alicuius excellentiae.Cui per proxime dicuntur addenda illa verba : Sine eius auxilio finem relatione.

Fama vero diffinitur a Calistr. in l. Cognitione

*e Et ca. I.  
92. dist.*

gnitionis. §. existimatio. ff. de var. & extraor. esse dignitatis illæsæ status , legibus ac moribus comprobatus. Cui licet etiam nemo aduertat addendum est. Illam quidem ap-tam esse proposito Calistrati , non tamen nostro. Tum quia secundum illam, non esset fama nisi de virtute. Cum tamen in nostro proposito, sit de ingenio , & aliis : de quibus diximus esse etiā laudem , Vnde Geneseos 6. Gigantes appellantur viri potentes & famosi.

Tum quia iuxta illam diffinitionem, nullus infamis haberet famam, cum tamen multi, qui uno respectu sunt infames, altero habeant famam ingentem. Ut Alexander magnus, Iulius Cæsar , & alij multi. Quare fama ad propositum nostrum diffiniri potest esse attestatio popularis de re aliqua. arg. c. Non sunt audiendi. II. q. 3. & c. Qualiter & quando. in 2. de Accusat. cum glo. & citatis ab ea.

Gloria vero est clara cum laude notitia. 49 secundum Amb. in c. 1. ad Rom. 1. Cui etiam addendum, quod verbum Laude, in ea positum non debet ita strictè intelligi , ac supra diffinitum est. Fieri enim potest , ut alii cui contingat gloria sine laude verbi , per

*f. Quem se-  
quitur S.*

*Tho. 1. sec.*

*q. 2. art. 2.*

*Omelius 2.*

*sec. q. 103.*

*art. 1. ad 3.*

F

*¶ melius.  
2. sec. quæf.  
132. art. 4.  
¶ lib. 3. cō  
tra Gentili  
les.* honorem facti , vt satis contigit Mardo-  
chæo Hester 6. Reuerentia diffinitur à Th.  
Vualdensi,in lib.de Sacrametalibus cap.ii.8.  
art.6.animi reputatio , qua quis bonitatem  
alterius magnificat , vbi pulchrè ait hæc  
quatuor,reuereri,honorare,laudare,& glo-  
rificare, ita se habere ; vt posterius priori  
aliquid adiiciat. Reuereri enim est animo  
magnificare. Honorare vero , id aliquo si-  
gno exteriori significare. Laudare vero , id  
verbis facere. Glorificare autem , longè la-  
téque id expandere.

50     XII. Infertur etiam dicendum,in qui-  
bus quinque supradicta conueniant. Et qui-  
dem primò conueniunt , quod licet strictè  
sumpta, ita vt dictum est,diferant , conve-  
niunt tamen in eo , quod frequenter assu-  
muntur latius , aliud pro alio. Nam gloria  
nonnunquam comprehendit omne testi-  
monium approbatorium,& vnius, iuxta il-  
lud Pauli secundæ ad Corinth.1. Gloria no-  
stra hæc est , testimonium conscientiae no-  
stræ, relatum in dicto c. Inter verba II.q.3.  
*¶ Ad id  
Hirom. 9.  
¶ c. Glori  
episc. 12. q.  
2.c. Sacer-  
dos. sub fin.* Honor item comprehendit laudem vt do-  
cet S.Tho.2.sec.q.103.art.1.ad 3. Laus item  
honorem , vt in diffinitione supradicta , &  
declarat S.Tho.in 4.dist.15.art.3. q.2. decla-  
rans

rans quoddam Ambrosij dictum.

Conueniunt secundò quòd nihil eorum  
est virtus , nec moralis nec intellectualis.  
Quia vt post S. Thom.i.Sec.q.71. artic.l.in  
præludio 4.num.ii. Manualis , declaramus.  
Virtus est habitus & qualitas mentis haben-  
tis eam. Et nullum horum est talis. Quodli-  
bet enim eorum est extra mentem eius cu-  
ius est. vt palam patet, & probat Boetius lib.  
secundo de consolatione , <sup>b</sup> & ita sunt bona  
externa, & fortunæ. Excepta sola reueren-  
tia,qua quis considerans suam paruitatem,  
humilitatem & vtilitatem, insufficientiam,  
& in omne peccatum propensionem, reue-  
retur se ipsum , quatenus est à Deo multis  
donis naturalibus, & gratuitis donatus; sub-  
iiciens omnia sua, quatenus sunt sua, omni-  
bus,quæ à Deo habet , quatenus sunt eius.  
Ex quo infertur quòd non sunt propter se  
tantùm amabilia: vt supra dictum est nu.9.  
Nec consequenter possunt esse fines iusti  
principales aliquorum bonorum aëtuū per  
prædicta num.30. Suntque inferiora bona  
virtutibus omnibus,quas in dicto nu.5.dixi-  
mus esse amabiles etiam propter se tātūm.

III. Conueniunt in eo,quòd omnia illa  
sunt maiora bona quàm pecuniaria , vt in-

<sup>a</sup>. q. tertia.  
<sup>c</sup> trad. S.  
Tho. 2. sec.  
ques. 132.  
art. 1.

<sup>b</sup> Et s. Th.  
1. sec. q. 2.  
art. 3.

frā probabitur.

III.1. Conueniunt in eo quòd sunt minora vita, salute, & aliis bonis corporalibus. Horum enim dominus solus Deus est. Deuter.32. Ego occidam, & ego viuere faciam, & Sap.16. Tu es Domine qui vitæ ac mortis potestatē habes. Et quāmuis eius diuina Maiestas huius dominij partem cōmunem fecerit Reipub.c. Ille gladius 23 q.4. non tamen particularibus. c. Si non licet. 23. qu.5. Qui tamen sunt domini præfatarum quinque rerum, ut latè monstramus in 6.concl. dictæ repet.c. Inter verba.num.338.

Nec obstat.l. Isti quidem. ff.de eo quod met caus.ibi, Viris bonis stupri metus maior quam mortis esse debet. Per quam quidam aiunt infamiam esse morte peiorum. Quod tamen illa non probat: sed aliud longè diuersum. s.mortem præponendam stupro. Quod Odoffredus sentiens, ait: ibi probari animam esse anteponendam vitæ corporali. Cui cōcernit ibi Alb. aiens per eam probari moriendum esse potius, quam pecare mortaliter. Nec etiam obstat.l. Codicilis. § Matre. ff.de legat. 2. Per quam aliqui dicunt probari, prius esse marito, vxoris dulterium, quam mors. Quia responderi potest,

poteſt; primò, quòd illa eius verba , Filium nostrum occidit , & alia peiora fecit: quæ in hoc inducūtur, verificari poſſunt, vt ibi annotauit Iacob. de Aren. in occiſione patris. Peior enim videri debet viro bono patris occiſio,quàm filij. Quoniā & ſi multa inclinan t quem ; ad magis amandū filiū quàm patrem, plus tamen tenetur amare patrem qui fuit principiū cauſæ, & fons eius,quàm filium , cuius ipſe cauſa eſt , vt reētē probat S.Thom. 2. ſec.q.26.art.5. Secundò r eſpon deri poſteſt,quòd præfatus §. Matre, non loquitur de morte propria, ſed de morte filij. & ita ut maximum ſolum probaret, marito peius eſſe adulteriū vxoris , quàm mortem filij: quod nil contra dicta concludit. Quan quàm nolumus negare, maius peccatū eſſe occidere filium alicuius , quàm cum uxore eius adulterari. Quoniam hoc eſt contra 3. præceptum. 2. tabulæ decalogi : illud verò contra 2. Et per hoc perimitur vita iam habita, per illud autem impeditur habenda. vt S.Thom. declarat. 2. ſec.q.122.art.3. Tertiò nouè ſed verè ad illas ambas leges r eſpon deri poſteſt Paulū,& Sc̄quolā earum autho res fuifſe Romanos gentiles, quos pro ſummo bono gloriā, & famā duxiſſe diuus Aug.

testatur lib.5.de Ciuit.Dei ca.12. his verbis,  
Romani gloriam ardentissimè dilexerunt,  
propter eam viuere voluerunt, pro ea mori  
non dubitarūt. Ob quod Tulliū grauissimè  
reprehendit; Et ita eorum hac in re senten-  
tia, tanquam Christianæ legi contraria re-  
pellenda est.c.Contraria. de consecr. dist.5.

Non obstat tertio illud vulgatum elo-  
gium : Pro honore moriēdum. Quia id est  
vulgatum erratum , si vt sonat intelligatur.  
Nam etiam Ethnicus Aristot.3. Ethis.dixit,  
non esse veram, sed falsam fortitudinē eam,  
qua quis pro pudore, vel honore moritur. &  
ita vt aliqua ex parte verum sit , verba illa;  
pro honore; accipiēda sunt, pro eo quod ho-  
norē mēretur. Nēpē pro virtute, siue theo-  
loga;putā fide, spe, vel charitate, siue mora-  
li,puta iustitia, & veritate, fortitudine & con-  
stantia ; temperantia; & castitate : & aliis.

Nec obstat 4. illud quod de Elcazaro.2.  
Machab.dicitur, quod glorioſiſſimam mor-  
tem, magis quam odibilem vitam comple-  
ctens voluntariē praibat ad suppliciū. Non  
enim ille pro gloria humana mortem fu-  
stinuit ; sed pro lege diuina obſeruanda. &  
ita pro virtute religionis, quæ gloriam me-  
rebatur. Quare magnopere persuadere ſibi  
omnes

omnes debent, nobiles præsertim, & milites, qui magis in hac re peccant; ne tanti faciant laudem, honorem, famam & gloriam, vt pro eis, vel pro vitanda ignominia vitam corpoream, vel spiritualem prodigant: Vitam autem animæ, virtutēsq; ipsius tam morales, quām theologas tanti æstiment, vt eo sint semper animo, quod malint vita, membrisq; corporeis destitui, dilacerariq; quām eas deserere: sintq; parati ad fortissi. mē pugnandum, repugnandumq; usque ad mortem, pro fide Regi Reipublicæq; præstata, seruanda pro legum diuinarum, & humanaū obseruātia; per quam sumimus honor acquiritur in hac vita caduca, & gloria sempiterna in illa stabili patria. Amen.

## S V M M A R I V M.

Honorariorū bonorum, quæ sunt quinque, appetitus uel contemptus suapte natura neque bonus, neque malus.nu.54.

Bona quæ quis facit nosse & uelle ab aliis probari licet. num.54.

Honorariorum bonorum appetitus uel contemptus fit bonus ex bono fine, qui triplex ponitur à S. Thom: num.55.

Cui addimuntur alij tres.num.56.

Honor exhibetur & recipitur iuste cùm debetur, & sponte datur.nu.56.

Bonorum honoriorum quæ quinque sunt, appetitus & contemptus fit malus ex fine malo, qui contingit triplciter.nu.57.

Honoriorum bonorū appetitus, nō referens ea in aliud est malus.nu.58.

Actus omnis fine bono apto carens, malus; etiam si malo quoque careat.nu.58.

Otiosum omne, deliberatum, quale est quod fine caret, malum. Et ideo nullus actus in individuo indifferens, nu.58.

Honoriorum bonorū appetitus inordinatus ut plurimum ueniale peccatum, sed quinque casibus mortale. num.59.

Quod ipsum dicendum de contemptu eorum.nu.60. Et etiam de appetitu & contemptu cæterorum bonorum utilium.nu.61. Et de complacentia, & displicencia, de obtentu omnium tam honoriorum, quam aliorum utilium.nu.cod.

Vintò conueniunt in eo, quòd appetitus vel contemptus horum quinque suapte natura, neque est bonus, neq; vitiosus. Tum quia non est peccatum, vt ait S.Thom.2. sec. q.132. art.1. quòd aliquis bonum suum cognoscat, & probet. Dicitur enim primæ ad Corinthios 2. Nos autem non spiritum huius mundi accepimus; sed spiritum, qui ex Deo est; vt sciamus quæ à Deo donata sunt nobis. Similiter etiam non est peccatum,



peccatum, quod aliquis velit bona opera sua ab aliis approbari. Dicitur enim Matth. 5. Luceat lux vestra coram i. omnibus. Per-  
fus item aiebat,

*Non ego cum scribo, si forte quid aptius exit,  
Laudari metuam, nec enim mihi cornea fibra est.*

Tum quia bonitas vel malitia naturalis actus ex obiecto, siue ex proportione obiecti ad actum sumitur. Ut probat S. Thom. i. sec. q. 18. art. 1. maximè ad 1. At obiectum eiusmodi appetitus, siue proportio obiecti ad illum, nil mali, nec contrarium rationi de se continet. Vnde S. Thom. Quodlib. 12. art. 13. concludit neque appetitum, neque contemptum famæ esse de se bonum vel malum. Idemque concludit de appetitu gloriae in dicta q. 132. art. 1.

X 11 f 1. infertur ex proximè dictis quod prefatorum quinque bonorum appetitus assumit rationem boni ex fine bono & apto. Ille autem, ut sanctus Thom. ait vbi supra est triplex, primus cum appetuntur ad gloriam Dei. Secundus cum appetuntur ad utilitatem spiritualem proximi, vt bono exemplo proficiat. Tertius cum appetuntur ad utilitatem propriæ animæ, vt in bonis quæ in se cognoscit ex testimonio laudis alienæ

studeat perseuerare ac crescere. Nam si utilitas animæ proximi pro fine desiderij laudis posita efficit illud bonum; à fortiori utilitas animæ propriæ: Cum magis quis tenetur diligere se, quam proximum. cap. Si non licet. 23. q. 5. l. Præses C. de seruit.

Quibus addo, quartum finem quotidianum, cum appetuntur ob utilitatem extiorem propriam vel aliorum. Quod paſsim inuenias in eis, qui cupiunt laudari, honorari, & glorificari de bonis suis, genere, habitudine, cōditione, & id genus aliis, tanquam medium adipiscendi coniuges, vel alia munera, & officia sibi conuenientia: In eis item qui cupiunt laudari de dulci cantu, fana doctrina, & dexteritate legendi, scribendi, prælegendi, patrocinandi, & gubernandi arte, ut stipendia mereantur condigna. In eis item, qui præfata cupiunt ut filii, cognatis, famulis & aliis necessariis suis aliqua bona utilia eorum contemplatione evaniant. Qui non videntur peccare, sed bene agere. Quod tamen intelligendum est, cum utilitas præfata temporalis aetü, vel virtute refertur in Dei amorem, vel obsequium, aut in vitam honestam suam; vel aliorum bonorum maiorum, bona temporalia minora

per

per supradicta.num.30. & ea quæ scribit S.  
Thom.in 2.lib.fent.di.38 art.1.sub finem.&  
art.2.in 3.arg.

Addo & quintum finem quando appetuntur eo quod sunt debita. vt eruditè dixit Caiet.2.sec.q.131.art.1. Quod procedit etiā si non referantur in alium finem. Nam si cut licet dare & accipere pecuniā debitam, eò quod sit debita:quod est iustitiæ virtutis actus; ita etiam licebit dare & accipere laudem & honorem debitū: Cum pari ratione id sit actus iustitiæ. iuxta illud Roman.13. Reddite omnibus debita;cui tributum, tributum:Cui timorem,timorem: Cui honorem,honorem.

Addo sextum finem: Cum ea desiderantur vel recipiūtur non tanquam debita sed tanquam dona gratosè oblata per alium ex amicitia,charitate, magnanimitate , vel humilitate.Vt cum quis minor altero,recipit ab eo honorem debito maiorem. Quod passim fit ; & probatur esse bonū à S.Tho. post Senec.2.sec.q.106.art.1.

X v.Infertur,quod appetitus,& cōtemptus 56  
horum vitiatur,redditurque malus. Primò quidem,ex fine malo. Quia vt prædictum est num.30.fine villa exceptione vera est ial regu

regula topica : Cuius finis malus est , ipsum quoque malum est . Secundo . Cum illa sunt vana . Sunt autem vana ex mente S. Thom.

*i. Et quest.  
232. ar. &  
de malo. q.  
9. & Abu  
lensis super  
Matthe.c.  
6. q. 3. vbi  
etiam Ma  
ior. s. An  
ton. 2. part.  
tit. 3. ca. 5.  
§. 1. & Ca  
set. in pre  
dictis duo  
bus articu  
lis.*

2. sec. q. 131. art. 1. Primum ex parte materię ex qua illa desiderantur , eo quod est illis indigna puta , quia est nulla ; eò quod verè nō est illa excellentia , ex qua desiderantur , vel est mala , malitia culpæ . iuxta illud , *Quid gloriaris in malitia , qui potens es in iniuite ?* Psal. 51. Qui gloriātur cum male fece- rint . c. Quām graue , de excess. prælat . Aut ita vīlis , quæ nil horum , aut non tantum , quantum ex ea desideratur merentur . De- inde ex parte eius à quo queruntur , putā cùm desiderantur ab homine , pro certiori & maiori testimonio , quām ipse de illa da- re poscit . Postremò ex parte eius qui ea de- siderat . putā , quia ea in debitum finem nec actu nec virtute referat . Quāmuis enim A- bulensis vbi supra , addat quartum modum , & Thom. alibi possit videri addere aliud , omnes tamen reducūtur ad prædictos tres . vt monstrauimus in prefata repe. cap. Inter verba . nu. 338.

X v i. ex his infertur , omnē appetitum horum quinque adeò absolutum vt neque actu seu actualiter , neq; virtute seu virtua-

liter

Jiter ea in alium debitum finem referat, esse malū, saltem veniale. Tum quia nil horum est propter se tantum amabile; neque consequēter potest esse finis & medius. ut prædictum est nume.5. Tum quia omnis actus humanus hoc est deliberatus carēs fine bono, malus est; etiam si fine malo caret, eo quod est actus ociosus, & omnis actus ociosus etiam verbalis tantum est malus. iuxta illud Matthæi 12. De omni verbo otioso, quod loquuti fuerint homines, reddent rationem. Et eo quod ea quae homo agit, ut homo, id est deliberatè, debet agere propter aliquem finem aptum. Alioqui vanè agit. Et omnis vanitas est peccatum. iuxta illud Psal. 4. Ut quid diligitis vanitatem? & illud Psalm. 118. Auerte oculos meos, ne videant vanitatem. Tum quia appetitus pecuniae absolutus in nullum finem relatus, est malus, & inordinatus. ut colligitur ex S. Th. 2. sec. q. 118. art. 1. & 2. At eadem ratio est de his quinque quoad hoc per prædicta. Tum quia ea ratione vterque S. Thom. 1. sec. q. 18. art. 8. concludit nullum actum deliberatum in individuo esse indifferētem, sed bonum, vel malum. Quia si caret fine bono, licet caret etiam malo, est malus. Nam debet ob aliquem

## 94 DE FIN. HVM. ACT V V M

aliquem finem fieri: alioqui est otiosus, & consequenter malus. Tum quia gloria in nullum aliū finem ordinata, dicitur inanis & vana. Et appetitus gloriæ vanæ peccatū est, vt probat S. Thom. in prædicta q.132. articu.1. Et eadem ratio militat in aliis quatuor, per prædicta.

59 Xvii. infertur, qd appetitus & desiderium horum quinque licet etiam quando est malus, vt plurimum veniale tantum sit peccatum: mortale tamen est in quinque casibus. Primo cum appetūtur de malo culpæ mortali. Ut exprimit Caiet.2. sec.q.13. art.2.addit.1.licet id ibi nō exprimat Aquinas. & ante Caietanum expressit S. Anton. 2.par.tit.4.cap.1.§.1.per illud Psal.51. Quid gloriari in malitia? Quod licet primo aspe ctu non concludit, cum gloria querens de malitia veniali, non peccet mortaliter, satis tamen concludit consideranti, quod mens Prophetæ fuerit dicere eiusmodi esse malitiæ, gloriari de aliqua malitia; cuiusmodi est illa: & gloriari de malitia veniali, esse veniale; & gloriari de mortali, mortale. Facit cap. Quam sit graue crimen in clericis cum maleficerint gloriari. de excess. prælat. Secundo cum appetūtur in mortalem irreuerentiam

tiam Dei. Vt Cyrus de quo Ezechiel 20.  
 Eleuatum est cor eius , & dixit Deus, Ego  
 sum. Tertiò,cum aliquod horū plus quām  
 Deus amatur.iuxta illud Io.12. Dilexerunt  
 magis gloriam hominum quām gloriam  
 Dei.Quartò cū in aliquo eorū ponitur vlti-  
 mus finis.vt multos olim R.omanos posui-  
 se supra ex August.probauimus. Quando  
 autem in aliqua re creata constituitur vlti-  
 mus finis,suprà n.21.prædiximus: addentes  
 rāros esse Christianos qui id faciant.Qui-  
 nito cum aliquid horum præponitur obser-  
 uantiae legis ad mortale obligantis. Quod  
 plus satis vſitari constat ex eo,quòd paſſim  
 videas viros, & etiam mulieres eo animo,  
 vt malint peierare ; vindictam de lēdente,  
 vel iniurio sumere:Symoniam faltem clam  
 admittere:subditos opprimere , violare iu-  
 stitiam,laudare peccatores, præsertim Prin-  
 cipes in desideriis animarum suarū ; quām  
 gloriam,honorem,famam,dignitatem,vel  
 principem locum perdere.

Hos quinque casus in quibus appetitum  
 horum quinque diximus esse mortiferum  
 in dicta repet.cap.Inter verba.num. 343.ad  
 duos contraximus. Nunc autem videntur  
 contrahendi ad tres. Primus cum appetun-  
 tur

tur ex malo mortifero. Secundus, cum in eo finis ultimus constituitur, vel ob id frangitur lex ad mortale obligās. Tertius cum ad mortale aliquod malum referuntur.

XVIII. Quòd eadem quæ dicta sunt de appetitu horum quinque, dicenda sunt de illorum contemptu; Nempe, quòd ille de se neque bonus neque malus est; quodque bonus fieri potest præstituto ei uno ex sex finibus, quibus appetitum eorum diximus rectum fieri. Quodque est malus si nullo fine bono circundetur: etiam si nullo fine malo denigretur. Quodque potest fieri malus ex parte materiae. ut sit, cum quis laudem ex virtute, & gratia Dei prouenientem contemnit. Et ex parte modi. Ut cum quis minoris, quam par est, testimonium diuinum vel humanum de suis bonis habeat. Et ex parte contemnitis; ut cum quis ea in aliquem malum & inordinatum finem contemnit. Quodque aliquando potest esse malus mortifere; ut est cum quis laudem de gratia Dei manantem despicit, aut in illo contemptu, finem ultimum, ut quidam philosophi fecerunt, constituit, seu ob eum aliquam legem, sub mortali poena obligatam, infringere statuit. Aut tertio, cum in mortiferum

ferum finem eum refert.

XIX. Quod idem est dicendum de au-  
to, & argento & aliis bonis pecunia æstima-  
bilibus, & de eorum appetitu & cōtemptu,  
quod diximus de prædictis quinque bonis  
honorabilibus. Videlicet, quod desiderium,  
vel contemptus eorum de se in genere, ne-  
que malus est, neque bonus. Quodq; fieri  
potest bonus per vnum ex sex finibus præ-  
dictis. Quodq; si nullo illorum circūdetur,  
erit malus, licet nullo malo circundetur.  
Quodq; erit malus, & mortiferus tribus ca-  
sibus præfatis.

X X. Quod eadem quæ diximus de ap-  
petitu & contemptu eadem ratione dicen-  
da sunt, de amore & auctu ea quærendi &  
refutandi, & de quæsitorum complacentia,  
& displicantia. Quibus est cōsequens, quan-  
tanos cura esse oporteat, ut cùm hæc vel il-  
la desideramus, amamus, quærimus, odi-  
mus, aut refutamus, & in eis quæsitis com-  
placemus nobis, aut displicemus; ipsum  
Deum, beatitudinem, vel honestam, siue vir-  
tuosam vitam pro fine præstituamus. Simul  
doleamus, quod toties eiusmodi auctus, ob-  
finis debiti defecatum vanè conceperimus,  
& egerimus. Consequitur item alio delectu

G

98 DE FIN. HV M. ACT V V M

quām hætenus à me audito , debere vi  
concionatores , in carpendo præfatorum  
appetitu , & laudando eorundem contem  
ptu. Ne scilicet , omnem horum quinque  
appetitum absolutè vituperent , neque co  
rum contemptum laudent.

S V M M A R I V M.

Honoraria bona que sunt quinque tum demum pro fine  
minus principali recte ponit, cum referuntur in alium  
aptum : alias non cum pulchra declaratione. nume  
ro 62.

Laudis, gloriæ, uel honoris, de excellentia qua quis caret,  
appetitus non est mortalis contra Abulenu. nu.63.

Justitiæ non contrari, uolens quod suum non est, si non est  
alienum.nu.63.

Laudem uel gloriam ob humanam facere principaliter  
quod institutum est principaliter ad gloriam Dei,  
non est mortale contra Ang.nu.64.

Doctoratu in Theologia sive mortali potest assumi prin  
cipaliter ad gloriam humanam ab idoneo nu.64.

Gloriam ob humanam facere aliquid , tanquam ob pre  
tium uel alias differunt.nu.64.

Intellectus dicit quotidiani Gregorij de laudis requi  
stione.nu.65

Laudis, & gloriæ bene & male appetitæ ; quinque ex  
empla quotidiana.nu.66.

Actus ex iudeo bonus, ne fiat malus , ob pri  
stitutionem hon  
oris & aliorū honorum utiliū pro fine exigit.nu.67.

Vigesim

**V**I gesimoprimò infertur, id quod 62  
 haētenus nunquam fuimus ausi  
 asserere. Nempe non licere ap-  
 petere , neque pro fine etiam  
 minus principali ponere ista quinque , nisi  
 referendo illa actu , vel virtute in alium fi-  
 nem bonum,& aptum,neque eadem,immo  
 maiori ratione, alia bona pecuniaria. Hoc  
 ipsum esse dicendum de contemptu eorum  
 dem,ac consequenter non solūm esse pec-  
 catum faltem veniale,inscruiare Deo,Papæ,  
 Regi,vel aliis prælatis & magnatibus, prin-  
 cipaliter propter bona pecuniaria , vel ho-  
 noraria, sed etiā inservire principaliter pro-  
 pter Deum ipsum,vel beatitudinē , vel aliū  
 debitum finem , & minus principaliter pro-  
 pter bona honoraria vel pecuniaria , nisi ea  
 rursus actu,vel virtute in aliquem finem bo-  
 num & aptum reflectantur. Non oportet  
 autem,mea sententia, vt finis in quem hæc  
 reflectuntur sit adeo altus , ac est is quem  
 requirit actus principalis , qui propter al-  
 tiorem finem fit. Exemplum de illo qui  
 amat vel colit Deum principaliter propter  
 ipsum , & minus principaliter vt concedat  
 ei victum , vel aliquid aliud temporale op-  
 tarum, ad iustè , honestè vel temperatè vi-

uendum. Is enim bene facit, licet illum vi-  
ctum, siue bonum, minus principaliter in-  
tentum, non referat in ipsum Deum, qui est  
finis actus principialis amandi eum, & insi-  
nitè maior quam vita honesta, studiosa, iu-  
sta, vel temperata, in quam refert illum vi-  
ctum, vel bonum optatum minus princi-  
paliter intentum.

**63** X X I I. quòd non est vera illa dura opi-  
nio Abulésis super Mat.c.6.q.3. l, quod om-  
nis appetitus laudis, honoris, aut gloriæ hu-  
manæ de re falsa, puta de excellētia quæ nō  
habetur, est peccatū mortale. Tum quia S.  
Tho.2.sec.q.131. art.2. quē ipse pro se citat,  
nō ait illud de omni appetitu vanæ gloriæ  
de omni re falsa, sed de falsa in irreueren-  
tiā Dei redundāte. Tum quia nō obstat eius  
ratio. s. quod omnis iniustitia est peccatum  
mortale, vt ait S. Th.receptus 2.sec.q.58.art.  
4. & q contra iustitiā est, appetere id quod  
suum non est. Quoniā illud procedit quādo  
appetitur id, quod non solū non est suum, sed  
est alienū. Nemo enim dicit esse peccatū  
mortale appetere diuitias, quæ nō sunt suæ,  
modò non sint alienæ, nec velit eas cum  
præjudicio alterius. Et ita non erit morta-  
le, appetere laudem & gloriam ob aliquam  
excl

excellentiam quam quis non habeat, modò illa sine ullo reipublicæ, vel priuatæ, præiudicio appetantur, vt si quis laudari cupiat, de castitate, fortitudine, viribus & ingenio quod non habet, ita tamen ut nulli ex eo præiudicium cueniat.

X X I I I . Quod non videtur etiā vera 64 illa opinio Ang. in summa. verb. Vanagloria, quæ habet esse peccatum mortale prædicare, missare, sacramenta ministrare, & alia eiusmodi quæ principaliter in gloriam Dei sunt instituta facere principaliter in gloriam & laude propriam. Tum quia is casus non est de quinque superius expressis, in quibus solis authores docent appeti gloriam esse mortale. Tum quia nulla efficaci ratione probatur. Tum quia Sylu. in eodem verb. Vanagloria, dixit quod eam opinionem consequeretur, dici posse, vae vae, toti statui ecclesiastico. Et ita non solum Syluest. sed etiam is qui adiecit postillas ipsi Angelo, contrarium tenet. Pro Angelo tamen facit, Primò illud August. lib. i. de doct. Christia. Diuina scriptura principaliter ordinatur ad honorem Dei. In quo Deus contemnitur, si principaliter ad alterius honorem ordinetur. Secundò pro eo quod D. Ant. 2.

par.cap.§.determinat. quòd assūmens grā-  
dum magisterij, aut doctoratus ad gloriam  
suam principaliter peccat mortaliter. Ter-  
tiò, quòd videtur symonia , facere eiusmo-  
di opera spiritualia, ob aliqua horum quin-  
que principaliter ut asserere videtur Adria-  
nus, Quodlib.2. à littera H. vsque ad S.

Ad horum tamen primum respōdet po-  
stilla prædicta, quòd verbum principaliter,  
quo vtitur Augustinus , soluit quæstionem,  
intelligendo , per illud, ponere vltimum fi-  
nem in gloria. Quæ tamen responsio dis-  
plicet. Tum quia intentio Augustini est, po-  
nere differentiam inter sacram scripturam,  
& alias res , quæ secundum hanc expositi-  
onem non inuenit. Quoniam etiam  
vtendo aliis ab scriptura sacra in gloriam  
humanam, ponēdo finem vltimum in illis,  
esset peccatum mortale ut prædictum est  
nu. 21. & seq. Quare respondēdum est quòd  
Aug. per ly contemnitur, non intelligit con-  
temptum expressum , nec tales tacitum,  
qui ad constituendum peccatum mortale  
sufficiat, sed ad veniale tātūm, longè tamen  
grauius quām id quod resultaret ex eo q  
aliis vteretur ad eundem gloriæ finem. Ad  
secundum respondeo , negando illud di-  
ctum

Etum diui Anton. procedere in eo qui est dignus illo gradu, quod antea Sylu. verb. Doctor q. 4. negauit. Ad tertium respondeo illud esse verum de illo qui exercet spiritualia, pro gloria, tanquam pro pretio illorum. Nos autem loquimur de illo qui exercet illa ad gloriam ut eum assequatur, sed non tanquam pretium eorum: ut quando fiunt ad preces & gratias, quae non sonent pretium. Quamvis plurimum certe caendum existimo ab huiusmodi peccato, quod saltem valde graue veniale esse negari nequit.

X x i i i . Infertur emolliendum esse illud diui Gregorij, satis durum & terribile, in homilia super parabolam de decem virginibus, Matt. 25. f. Cauendum ne per hoc quod rectū geritur, fauor, aut gratia humana queratur, & appetitus laudis surrepat, eoq; à mercede vacuetur. Id enim crudeliter acceptum, cogeret omnia ferre humana bona opera dānare. Quotus enim quisq; est, cui, ut Cicero sentit, res præclaras agēti aliquis laudis appetitus non surrepat? Intelligamus ergo illud esse verum iuxta prædicta de requisitione, siue appetitu inordinato, quo principaliter requiritur laus de bono quod geritur, & etiā de illo quo minus principaliter

illa quæritur propter se solam vel non referto eam in aliquem finem, vel non in debitum, vel referendo in malum. Non autem de requisitione ordinata, qua minus principaliter quæritur laus, propter aliquem debitum finem, in quem actu vel virtute refert eam expetens.

**66** X x v. Ex proxima illatione inferuntur quinque. Primum quod orans vel aliud bonum agens ob laudem, vel fauorem humum quo assequatur aliquod beneficium ecclesiasticum, vel aliud munus quo est indignus, meritum perdit, & peccat, siue principaliter siue minus principaliter, ob ea id faciat. Quia requirit laudem ob finem in se malum. Secundò, quod qui orat, vel aliud bonum facit principaliter ob ipsam solam laudem etiam non ordinatam in malum finem, meritum perdit & peccat. Tertiò quod qui colit vel amat Deum principalius, ut sint ei calcar, quod fiat temperas, vel abstinentis, meritum perdit & peccat. Quia finis principale actus maioris virtutis, scilicet charitatis, & religionis, facit minoris virtutis, scilicet temperantiae vel abstinentiae. Quartò, quod qui ieiunat, & abstinet, vel sobrius est ut assequatur laude & gratia humanæ, quo ab illis impellatur ad amandum

dum & honorandum Deum qui sunt actus charitatis, & religionis virtutū longè maiorum, quam abstinentia, & sobrietas non peccat, & meretur. Quinto quod qui orat vel aliud bonum facit principaliter propter Deum, vel alium debitum finem minus autem principaliter ob laudem, in quantum est quoddam bonum, sed non propter se solum appetibile, non perdit meritum, nec peccat, modo eam in aliquem finem debitum referat. Quæ omnia profecto inculcanda erant à concionatoribus; ut rem adeò quotidiam calleremus, & scrupulos, quod illud Gregorij dictum gignit vitaremus.

X x v i. infertur quod duo requiruntur; 67  
vt actus ex sese boni non inficiantur præstitione eis pro fine bona utilia, quæ sunt omnia pecuniaria & honoraria. Alterum, vt non querantur propter se solum, sed propter aliud in se amabile. Alterum, vt non prestituatur, pro finibus principalibus eorum, vel referantur in fine illis actibus congruū.

Ad hoc autem vt non inficiantur per præstitutionem bonorum honestorum & delectabilium per se amabilium, satis est quod non fiant fines principales actuū maiorum virtutum, siue referantur in alium, siue non.

106 DE FIN. HV M. ACT V V M  
S V M M A R I V M.

**A**ctus quibus candidati specimen ingenij, eruditionis, artis, virium, & aliarum dotium exhibentur ad promerenda præmia plus merentibus proposita, quomodo ut sint boni sicut. n. 68.

Intellectus quorundam Domini dictorum, & aliorum doctorum. n. 69.

**E**leemosynam maiorem largiri eo quod publicè, vel à maiore petatur, non esse malum. n. 72. sed melius esse curare ne sic petantur. n. 73.

**E**leemosynam publicè largiri debere prelatos. n. 73.

Bona bene facere publicè non esse facile omnibus, ideo fugiendus multis episcopatus. n. 73.

Honor iam quæstitus, cur magna cura conseruandus. n. 74.

**A**ctuum de se bonorum, cur bona pars mala. n. 70.

Bona insignia publicè facturus, quid præmeditari debet, ne cibi toxica fiant. n. 74. 71.

68 **V**igesimo septimo, Quod actus currendi, saliendo, equitandi, hastis, sagittis, bombardulis, & canis ludendi: prælegendi etiam disputandi, concionandi, canendi, pulsandi, organa, missandi & alia eiusmodi, quibus agilitatis, roboris, ingenij, artis, dexteritatis, eruditionis, industriae, dotiumque aliarum inditarum, aut quæsitarum specimen præbemus, sunt boni si ea principaliter agamus, vt per eos Deo placeamus, vel vt beati sumus,

mus, vel quia recta ratio id dictat, vel quia sunt honesta, etiam si minus principaliter ea faciamus, ut pallia, & brauēa, pulpita, cathe-dras, sacerdotia, officia, & alia munera eccl-e-siastica, schola-stica, sœcularia, militaria, vel alia quæ magis idoneis promittuntur, asse-quamur, modo ea in aliquē finem bonum actu, vel virtute collimemus, & reflectamus.

X x v i i . Infertur, quòd in illo Matth. cap. 6. Ne iustitiam vestram faciatis coram hominibus, ut videamini ab eis; Illa coniunctio, ut, denotat finem principalem, neque actu, neque virtute in aliud finem debitum relatum. Et è contrario in illo Matth. quinto, Luceat lux vestra coram hominibus, ut videant opera vestra bona, & glorificent patrem vestrum, qui in cœlis est; denotat finem minus principalem, & in aliū debitum relatum. Quæ concordia videtur aptior illa, quam Io. Gerson tradit in secunda par. alphab. 39. in tract. de temperantia. col. 3. Infertur & illud, quod expressius quām alij dixit Maior, Matth. ca. 6. col. 2. f. quòd quærens gloriam propriam propter laudem, & gloriam Dei, non quærerit gloriam inanem. Consequitur item, quòd Abulensis, Matth. 5. col. 33. & Caiet. ibidem aiunt, Soli Deo, & non

108 DE FIN. HVM. ACTVVM

non facient quærendam gloriam per bona opera intelligendi sunt , de gloria principaliiter desiderata , & non de relata in Deum, vel alium finem debitum.

70 X x i x . Infertur , quòd non desumitur hinc argumentum adeo validum, vt aliqui putant , ad confirmandam illam hæresim, quæ habet ; Omnia nostra opera esse peccata, saltem venialia. per illud Esa. 64. male intellectum , Quasi pannus menstruatæ universæ iustitiae nostræ . Licet enim dolenter consideremus, quàm plurima opera nostra etiam suo genere bona , fiant mala ob finis circumstantiam, ex eo quòd multa fiant ob finem malū mortaliter, vel venialiter ; multa in finem debitum non referuntur . Complura principaliter propter bona tempora lia, vtilia & honoraria, quæ constat esse mala, saltem venialia per prædicta. num. 44. Et non pauca, quæ licet principaliter fiant propter Deum, vel quia recta sunt, fiunt tamen minus principaliter ob bona tempora lia, præsertim laudem & gloriam , in nullum alium finem debitum , actu neque virtute relata, quæ etiam sunt peccata venialia per præmissa. nu. 57. Quàmuis etiam inquam, hæc ita sese habeant ; quàm plurima tamen fiunt

funt ob solum finem debitum, & multo  
plura ob illum & alium minus principaliter  
actu vel virtute, siue virtualiter, relatum in  
finem aliquem debitum, iuxta id quod de  
relatione virtuali & actuali supra.nu.18.est  
dictum.

X x.infertur, expedire plurimum, me-  
minisse illud magni patris nostri Augustini  
in cap.4. regulæ nostræ. Alia quæcunque  
iniquitas in malis operibus exercetur ut  
fiant: Superbia verò etiam bonis operibus  
insidiatur ut pereant. Illud item magni Gre-  
gorij supra nu.65. citati & declarati, videli-  
cer, Sæpe vos fratres admoneo, praua ope-  
ra fugere, &c. nunc autem compellor dice-  
re, ut & bona magna cautela faciatis, ne per  
hoc bonum quod geritur, fauor aut gratia  
humana requiratur, ne appetitus laudis sur-  
repat, & quod foris ostenditur, intus à mer-  
cede vacuetur. Illud item magni Basilij, qui  
curabat, ut quoties in pontificalibus missa-  
ret, diceretur ei; Pater nondum est sepul-  
chrum tuum perfectum, fac ut perficiatur;  
quò appetitū laudis, & honoris mortis me-  
moria refrenaret. Expedit, inquam, memi-  
nisse hæc tria, in omnibus nostris actis, præ-  
sertim quoties se se nobis aliqua opera insi-  
gnia

110 DE FIN. HVM. ACT V V M

gnia publicè facienda offerant ; qualia sunt  
in materia virtutis latriæ , siue religionis,  
missa publica præsertim cantanda,& maxi-  
mè in pontificalibus, euangelij lectio , capi-  
tulum, antiphonæ , & orationis cantandæ.  
Qualia in materia iustitiæ sententiam in  
grauioribus causis in magno consensu fer-  
re. Qualia in materia fortitudinis,& magni-  
ficienciæ, pugnæ veræ vel vimbratiles, sum-  
ptus grandes,& apparatus maximi. Qualia  
in materia studiositatis prælectiones, dispu-  
tationes publicæ,& specimina ingenij, me-  
moriæ, artis, eruditionis , & aliorum dono-  
rum tam inditorum quam quæsitorum, ad  
brauēa , & præmia habilioribus proposita  
exhibenda. Operæ premium, inquam, facere-  
mus cum eiusmodi agēda occurrerint, me-  
minisse prædicta , & omnino cauere in pri-  
mis, ne nostri actioni vllus finis malus, præ-  
sertim mortiferus , præstituatur, ne ve vlla  
res temporaria pecuniaria vel honoraria  
principaliter intendatur ; immo neque mi-  
nus principaliter, sine debita in aliud finem  
iustum relatione actuali vel virtuali; Simul-  
que nostræ actionis principalis finem facere  
dominum solum ipsum beatificatorem, vt  
ei placeamus , & beatitudinem quam præ-  
tend

tendimus, vel virtutem aliquam ipsi actioni aptam, vt eam exerceamus, vel vt rationi supernaturali vel naturali, aut humanae, quæ id dictat satisfaciamus. Quod si aliqua alia bona temporaria, pecunioria, vel honoraria, his adiunxerimus, illud fiat minus principaliter, & secundariò, cum eorum actuali vel virtuali in fines proximè dictos relationes in uocatione illa præmissa: Actiones nostras quæsumus Domine aspirando preueni, & adiuuando prosequere, vt nostra hæc operatio à te incipiat, & per te incæpta, in te ipsum finiatur, per C H R I S T U M D. N. Amen.

X x x i. inferuntur hæc quæ sunt quotidianæ decisiones dubiorum super quibus olim interrogati fuimus. Prima est Io. Gerf. 2.par.tit.de Temperant. alphab.39.l. quem non male, immo benè mereri, si aliud non desit, largiendo maiorem eleemosynam publicam, quam fuisse largitus secretam, modò minus principaliter illam maiorem laudem de maiori eleemosyna requirat, eamq; actu vel virtute in alium finem debitum referat. I i. Non esse peccatum, immo meritum, si adsint cætera, largiri maiorem eleemosynam pauperi absenti pro quo petit

tit aliquis amicus , vel vir egregius ; quād  
dedisset, si pauper ipse , vel alius homo gregarius  
eam petisset; modo minus principali-  
ter, & non principaliter respiciatur perso-  
na. I I I . peccare illos qui aliqua de magna  
causa procurant , aut consulunt , vt petatū  
ad aliquod opus pium publicē per egregiam  
quāpiam personam Dei amore ut maiori  
eleemosyna fiat , quād si secretō , vel per  
alias personas gregarias fieret, seruatis tamen  
modis prædictis. Dixit aliqua de ma-  
gna causa: quia sine tali vt id fieret non con-  
sulerem. Quoniam cum bona pars homi-  
num sit vel pauper , vel insueta humilitati  
actibus, vel plus satis gloriae humanæ audi-  
da, facile credi potest, bonam partem eorum  
à quibus petitur, tam aut magis largiturā  
illud plus, quod largitura est publicē quād  
secretē ob gloriam humanā , vel pudorem  
& ignominiae timorem ex necessitate quād  
dam & tristitia , quād hilari mente in hoc  
ab Apostolo 2.ad Corinth.cap.9.requisita  
Ob quod & alia quādā olim, cum primam  
missam cātaui, non permisi, vt nullus ad eam  
inuitaretur ; nec vt mihi quicquam offerre-  
tur; contra meæ morē gentis, & contra ex-  
pectationem cognatorum, & amicorum pa-  
rentum

rentum. Quod ipsum aliqui postea meo exemplo & horratu, fecerunt.

I I I . iuste peti aut dari posse plus eleemosynæ cum in aliquid piñ opus publicè petitur ex altari vel suggesto , publicâte parochio vel alio, quis, & quantum largiatur, aut promittat, vt pro eo circum sedētes Deum orent. Quam decisionem limitandā arbitror, vt præcedentem. V. Posse quem absque peccato plus offerre, missam primam facienti, vel nuptias, aut baptismum celebranti, eo quod ad id inuitatus fuerit , vel populo spectante offerat, quam offerret si nemine vidente, aut non inuitatus id faceret eadem ratione seruatis prædictis modis. Quæ omnes decisiones radicatur primum in eo, quod eleemosyna iuste sit, si fiat principaliter proper Deum , vel quia est actus virtutis ; licet minus principaliter fiat ob laudem propriam in finem debitum relatam, per prædicta. Deinde quod frequenter circumstantiae aliquot occurrunt, ob quas eleemosyna publica debet esse maior quam secreta, è quibus est illa , quod alioquin iniuste, videntibus putaretur faciens eam , avarus, vel sordidus, & detractione dignus.

V. est eiusdem Ioan. Gerso, ybi suprà, s. cr.

H

rare illos qui laudant prælatos non facientes eleemosynas publicè , sed tantùm secrete. *Quia præceptū est eis , vt publicè bene faciant, per illud Matth 15.* Luceat lux vestra coram hominibus. *V i i . est eiusdem & aliorum omnium.* Quòd quāmuis præfata vera sint , cauendum tamen est hominibus virtutum , præsertim humilitatis operibus parum affuetis, ne cum earum opera exercent , principalius vel æquè principaliter faciant ob humanam gloriam , ac ob aliud debitum finem , incitante ad id laudis humanæ insita cupiditate. Imo huiusmodi homines bene sibi consulent vten-  
do ad litteram illo Matt.6. Cùm facis eleemosynam , noli tuba canere , sed da in ab-  
scondito. *V i i i . est etiam eiusdem Ioan. Gers. vbi suprà : quòd ob hanc solam cau-  
sam , etiam si aliæ omnes abeſſent , debe-  
rent fugere episcopatus , & alias dignitates ,  
ij qui parum sunt in virtutum , præsertim hu-  
militatis actibus exerciti , quoniam oportet  
eos agere multa bona publicè ; & subest eis  
periculum faciendi ca- tantùm vel plus ob  
humanum fauorem , quām alium finem de-  
bitum. *I x . est Abulens super Matth. cap.6.  
q.3.col.2.s. Dignum esse vituperio cum , qui  
honor**

74

honorem iam quæsumum non curat conser-  
 uare. Tū quia, vt ille inquit, honor sicut non  
 potest iustè queri nisi per virtutē, & aliquam  
 veram excellentiam; ita nec perdi iustè nisi  
 perdita illa: Tum per illud præceptū Eccl.  
 41. Curā habe de bono nomine. Tum per  
 illud Apost. 2 ad Cor. 9. Melius est mihi mo-  
 ri, quām vt gloriā meam quis euacuet. Qui  
 idem, quod maximē duco notandū, etiam  
 de gentilitia nobilitate se laudauit 2. ad Co-  
 rinth. 11. ibi Hebræi sunt, & ego. semē Abra-  
 hæ sunt, & ego. & illud Machab. 9. Absit vt  
 fugiamus ab his, & inferamus crimen glo-  
 riæ nostræ. Tum quia crudelem esse illum  
 qui famam negligit: intelligi inordinatè dif-  
 finit August. in capit. Non sunt audiendi. 11.  
 quæst. 3. Tum quia licet magis curandū sit  
 de virtute, vel excellentia vera, quām de ho-  
 nore vel laude illi debita: eo quod honoris  
 perditio frequenter sine culpa eius cui debe-  
 tur contingit: cap. Renouantes 22. dist. nihilo  
 minus tamen curandum est de honore;  
 ne vulgus, quod nouit effecta, & eorum cau-  
 fas ignorat, videns quem ab honore deci-  
 disse, præsumat eum virtutem quoque &  
 excellentiam amisisse: & ex eius casu præ-  
 sumpto, scandalū accipiat ob speciem mali.

H 2

## 116 DE FIN. HV M. ACT V V M

A qua vt caueamus Apost. relatus in eo q̄  
ab omni specie mali de vit. & hone. cle. pr̄e-  
cipit i. ad Theſſ. 5. Tum denique quōd ob  
quinque fines bonam famam & honorem  
desiderare cōuenit, vt in repetit. capit. Inter  
verba. xi. q. 3. nu. 192. ſcripsit: Quorum quartus  
eſt, vt constantius virtutes colamus:  
reputantes nos tanto eſſe obligatores, tan-  
tōque plus peccaturos, ſi contra fecerimus;  
quanto magis credimur eas colere.

## S V M M A R I V M.

*Authorem iuste potuisse, debuisseq; ſuum honorem de-  
fendere. nu. 75.*

*Apologia in eos qui falsis & impertinentibus de cauſis  
niſi ſunt persuadere Romæ, in feniſum eſſe authori Re-  
gem Philippum Hispaniæ huius nominis ſecundum,  
num. 76.*

75



Rigesimo ſecūdo. Infero ex pro-  
ximè diētis, non ſolūm potuisse  
me iuste, ſed etiā debuisse Chri-  
ſianè defendere meum honorē,  
& famam, quām falsis & impertinentibus de  
cauſis tollere: aut certè grauiter minuere  
proximis diebus tentarunt quidam, in hac  
ampliſſima Roma totius orbis Christiani  
Theatro & capite, præſidente illi Sanctissi-  
mo D. N. Pio, V. Pontif. Max. multis no-  
minib

C O M M E N T A R I V S.

117

minibus merito, cum primis pr̄decessorum  
suum sanctissimis conferendo, æquandoq;  
Quo Ecclesiae vniuersæ Principe; redeunt  
aurea sæcla, & aurea regna; patratoq; Deus  
Opt. Max. contra infideles mirabilia. Quam  
defensionem feci per epistolam quandam  
apologeticam ad Illustrissimum & excel-  
lentissimum Ducem Alburquerqueensem  
Mediolani Gubernatorem; quam, quia, vt  
audio, aliqui parum correctè transcri-  
pserunt, statui eius tertiorem  
yerum huic corolario  
subiicere.

Tenor epist. præfatæ apologeticæ.

H 3



ILLVSTRISSIMO  
EXCELLENTISSIMO QVE  
D. Don. Gabrieli à Cueua Duci Alburquer-  
quensi, Gubernatorique Mediolani, &c. iu-  
stissimo pientissimoque Principi,

*Martinus ab Azpilcueta doct. Nauarrus  
S. P. D.*



Vita, diuque versans, Prin-  
ceps præcellens, constitui-  
tandem ad tuam istam præ-  
cellentem veréq; Christia-  
nam benigitatem confu-  
gere : quo me pro tua in Christum pietate,  
& in me charitate, qua parte honestè po-  
teris, à labiis iniquis, & à lingua dolosa, li-  
beres : præsertim apud Sanctissimum D.  
N. Pium quintum Pontificem Maximum,  
& apud Regem & D. N. Philippum se-  
cundum, Monarcharum summum. Quod  
nemo potest, mea sententia, efficere ap-  
tius. Tum, quia nemo tui ordinis Prin-  
ceps,

ceps, utrique gravior & fidelior creditur. Tum quod nemo magnatum, qui præfatum nostrum Monarcham eis alpes representant, adeo bene ac tua excellentia me familiamque meam nouit. Quippe qui multo tempore tanta charitate, prudentia, iustitia, humanitate, ac fidei vigilancia, Nauarram Prorex eius gubernasti, quanta nemo aliis eam ætate nostra tantaque cum omnium Regnicularum laude tua, & eorum mœstitia concordi, exinde istuc fuisti missus; quanta nemo aliis ante fuerat euocatus. Nam et multi alij virtutibus, dignitate, ac opibus præcellentis; & in his pater tuus ille iudicio, experientia, ætate, rebus gestis, & aliis nominibus vere magnus, eam gubernauit.

Negotium, quod me ad tuam Excellentiam configere facit, tale est iam inde à duobus annis, nescio neque cupio scire à quibus neque quo spiritu, cœpit in vulgus spargi. Regem præfatum esse infensum mihi, maleq; vele. Undum autem his proximis diebus, cum de quibusdam magnis honoribus distribuendis hic tractaretur, assueratum: Ex coquè illatum, oportere, ne Sanctissimus Dominus Noster, patrésque

purpurati, vlla egregij amoris signa in me  
 ostenderent; suamque assertionem quatuor  
 argumentis, dicuntur nisi persuadere. Pri-  
 mum, quod in operibus meis scripseric,  
 iniuste Nauarram à p̄fato Rege teneri.  
 Secundum, quod ipse fateor in libello de  
 treditibus ecclesiasticis latinitate donato q.  
 numero 95 post principium; nullo curia  
 Regiae munere me ab eo donatum; quod  
 aiunt contingere non potuisse, nisi me  
 Rex odisset, cum vulgo putarer aliquo il-  
 lorum dignus. Tertium, quod sim Na-  
 uarrus, ex utroque parēte de duobus pro-  
 gnatus palatiis, quorum domini olim Re-  
 gem Ioan. à Labreto relietā Nauarra ab-  
 euntem, vnā cum Marisco Excellentia  
 tuae cognato, suoque duce sequuti fuerunt.  
 eosque frequenter eo nomine laudem. Po-  
 stremum, quod in Gallis, multo tempore  
 iura Pontifica & Cœfarea didicerim, & do-  
 cuerim; Galli cœque loquar, Galliasque ma-  
 gnificiam, eisque sim bene affectus.

Quam propositionem, & argumenta,  
 quibus eam fulciunt, eo grauius sentio,  
 quod ea nequeo diuere, nisi me, meosque  
 laudando, contra illud Prou. 27. Laudet te  
 alienus & non os tuum: & quod id fecerunt

homin

homines, nihilo alio quòd sciam à me offendí, quàm quòd Illustrissimū Toletanum defendā vel quòd Italī, præsertim Romanis, & eorum, totiusque orbis Pōifici Max. patribusque purpuratis, sīm charior, quàm illi vellent, vel quòd aliter quàm licebat cū iniuria proximi, in præfatum Regem voluerint videri obsequiosi. Ad quæ omnia æ quo animo ferenda, quanta mihi sit opus ope diuina, æstimet pro sua rara prudentia tua ista Excellentia reputans secum, mē adeò senem, & peregrinum, in tanta v̄be, quæ totius orbis theatrum est cōstitutum; & paulo ante ab omnibus tam summatibus quàm infimatibus, gratia Deo maioris quàm merear habitum; nunc verò non per quales quales, sed, vt conicere licet, per terraneos, adeò cum cognatis meis iustè infamatū. Quæ tamē omnia soli Dei Opt. Maxim. vindictæ lubenter reliquissim, nisi quibusdam piis & doctis viris visum esset, quòd licet non solum ea iustè possenti ferre, imò deberem plurimum gaudere, quantum me solum teriunt, iuxta illud Greg.c. Inter verba. II.q.3. Inter verba laudantium siue vituperantium ad mentem semper revertendum est, & si non in ea inuenitur ma-

lum, quod de nobis homines loquuntur, in  
 magnam debemus lætitiam profilire. Tum  
 ob alia multa, quæ in eius repetitione illi  
 adiecimus. Tum quòd tantæ senectuti non  
 conuenit caducis onerari honoribus, præser-  
 tim, quos nouit vires eius superare, iuxta fi-  
 nem c. Non est putanda. i.q.i.ex eodē Gre-  
 gorio desumpti, vbi gl. citat illud Horatij:  
 Sumite materiā vestris qui scribitis æquam  
 viribus, &c. Tum quòd consilioꝝ meorum  
 rationibus priuatis incōmodarent: & solūm  
 expedire mihi possent, vt maiore cum au-  
 thoritate mea scripta legerētur. Quatenus  
 tamen Rempublie. cognatos meos, & mea  
 scripta quatiūt, non posse me sine peccato,  
 aut sine magna causa dissimulare iuxta il-  
 lud Eccles. 41. Curam habe de bono nomi-  
 ne; & quòd iuxta Aug. relatum in cap. Non  
 sunt audiēdi. ii. q. 3. Crudelis est qui famam  
 suam negligit. Quia mea infamia, eo quòd  
 tam publicam gero personam, plurimis es-  
 set scandalo. Cum non sit par credere sum-  
 mun, benignissimumque Regem tantam  
 iram nisi ob maximum crimen in me com-  
 ceptum iri, authoritatique; meæ, meisq; opul-  
 culis derogaret, omnibusq; cognatis meis  
 & toti Nauarræ officeret, immo & aliqua

ex

*ex parte gloriae tati Regis detraheret, apud eos qui me intus & in cute noscetes, sciunt me non odio Maiestatis eius, sed amore dignum.*

Necessitate igitur in hoc adactus, primū argumenta præfata singulatim diluam. Deinde adiungam alia per quæ vna cum his quæ dilutionibus miscebo constabit me citer annos 50. non solum qualiter qualiter, sed insigniter de præfata Regis Maiestate, deq; patris eius illius summi Imperatoris, deque eius matris illius summæ Imperatriæ benemeritum, & ideo præsumendū, non esse mihi eum infensum, neque male velle, sed potius bene. Ad primum igitur præfato sum argumentorum respondeo, impudentissimè dictum esse, ac testimonium falsissimum: quod in aliquo meorum operum scripsimus, Nauarram iniuste à præfato Rege teneti. Tum quod palā & notorium est, me quoquā ea de re in eis tractasse, neq; ullam mentionem fecisse. Tum quod palam quoque est mea omnia opera priusquam typis excederentur, per magnū Regiæ Maiestatis Castellæ consilium examinata, & priuilegio munita fuisse. Tum quod palā etiā est stultissimi vanissimiq; hominis futurū fuisse, id scrib

scribere in terris tanto Monarchæ subditis,  
 in præsentē scribentis, suorūmq; perniciem,  
 nullo diuino, neque humano iure ad id co-  
 gente, nullaque vtilitate ad id suadente, &  
 quod gratia Deo Opt. Max. non vsq; adeo  
 insanio, & desipio. Tum quia plurimi q[uo]d  
 meum confessariorum & p[re]cōnitentiū Ma-  
 nuale seriò legere, dixerunt, quod ego in eo  
 assero Nauarram iustè à Régibus Catholi-  
 cis teneri, etiam si nō esset verè illorum, eo  
 argumento id colligentes, quod in c. 17. n.  
 60. dixerim, Restitutionem alienarum re-  
 rum non esse faciendam, quando per eam  
 consequerentur maxima damna publica:  
 ob idque non esse facile damnados Reges,  
 qui tenent aliquā aliena, etiam si scirēt, non  
 esse sua, modo probabiliter crederent, eo  
 rum restitutionem consequitur grauiſſi-  
 ma suorum regnorum incōmoda. Ex his  
 enim propositione adiunctæ altera quam  
 s[ecundu]m dixi, videlicet, prudentissimos quoq[ue]  
 rei militaris Hispanos iudicare per restitu-  
 tionem præfati Regni, apertum iri ostium  
 inferendi maxima damna in alia Regna H[ispani]a  
 spaniæ per montes Pyreneos, inferunt, me  
 dixisse, Reges Catholicos, nō teneri, ad re-  
 stituendam Nauarram, etiam si noſſent no[n]

et[er]

esse suam. Quanquam ego nullum verbum penitus feci de Nauarra, neque de yllis aliis dominiis, super quibus inter yllos Monarchas controuertitur. Neq; an in eiusmodi casibus sit compensatio aliqua facienda, nec ne. Tum quia frequenter constantissimeq; verbo afferui, tā in Galliis, quām in Hispaniis, quōd nunquam Reges Catholici sua sponte, Regnum illud, aliis, qui suum esse prætendunt, relinquunt. Tum deniq; quōd cum illa pacifera Regina & Domina nostra Isabella te Pro-rege Nauarræ traiiceret in Hispaniam, & in domo natalis mei, vno die requiēset multis viris Principibus Hispanis, & Gallis, qui eam comitabantur, afferentibus præfatum Regnum mox restitutum iri Vindocinensi, qui eam vsq; ad Roncam vallem comitatus fuerat, contradixi, nitens præfato, (quod est irrefragabile) fundamento. Quin & licentiato perdocto ab Ainciondo consiliario præfati Vindocinēsis excellentiæ tuæ, (ni fallor) noto, mihi verò etiam amico, (quia emphiteutarum mei ordinis Roncæuallis cumprimis præcipuus est) cum paulò post transitum præfatæ Reginæ scripsisset ad me propediem, se, cum Rege suo in domū præfatam, qua erat iter

in

in curiam Regiam diuersuros, eo quod iam  
habita fide publica, siue saluo conductu, or-  
nabant iter ad acceptandam restitutionem.  
Illi, inquam, mihi hæc scribenti, rescripti,  
demirari me incogitantiam & impruden-  
tiā eius & omnium Gallorum, & multo  
rum Hispanorū, etiam magnatum, qui cre-  
derent eam faciendā. Eademq; secundo re-  
plicanti quòd Regia nostri Regis Maiestas,  
(quem ego soleo dicere nunquam mentiri)  
promiserat Henrico II. socero suo, restitu-  
re illam ei quā ipse appellabat suā Reginā,  
si monstraret se non posse illud absque pec-  
cato mortali retinere; & quòd facile id ipsa  
esset ei monstratura: triplicaui duo. Alterū,  
quòd p̄fatus Rex adeo erat Christianus,  
quòd non solum Regnum Navarræ, sed  
etiam Toletanum, & totam Castellam re-  
stitueret, si quis ei persuaderet, non posse  
illa, salua suæ animæ salute detinere; quippe  
qui optime nouit, parum prodeſſe homini  
totum mundum lucrari, si animæ suæ detri-  
mētum patiatur. Alterum, quòd nullatenus  
id poterat illa ei monstrare. Quoniam, esto,  
probaretur ei non esse illud eius, nō tamē  
poterat probari, & minus monstrari non po-  
ſe illud iuste retinere. Quia vt ipſe potera-  
facili

facilè videre, in prædicto meo Manuali, iure constat, non esse necessarium restituere alienum, quando ex eo maxima damna publica probabiliter timerentur. Et quòd ex factò constabat totam prudētiā bellicam Hispanorum iudicare, grauissima damna Regnis Hispaniæ probabiliter timeri posse per huiusmodi restitutionē euentura. Quā obrem moneret suum Regem, ne se vanis impensis, & laboribus oneraret, vanisque molestiis tanti Regis Maiestatem fastidiret, alias (si ei videretur) sibi quæreret compensationes. Qua mea triplicatione factū fuit, ut à vana spe decideret Vindocinensis, Princeps alioqui virtute bellica summus; & non fuerit vñs fide publica, siue saluo conductu à Maiestate Regia suam curiam adeundi iam ei dato; quod de hoc negotio fastidissimo tractaret. Ob quod solum officium vtriq; parti, sine alterius iniuria præstitutum, ab vtroque poteram præmium petere; quia tunc amici erant, sed malui ab ipso, qui hæc vidit, & inspirauit, Deo sperare illud. Per quæ palam est, impudentissimè mihi obiici primum. Addo quòd imprudenter dum volunt videri in Regē officiosi sunt in eūdem inofficiosi. Quoniam multi qui norunt me,

de tan

de tangentibus animarum salutem etiam verbo cunctanter respondere solitum, facili credere possent, cunctantius tale quid scripturum contra tantum Regem, & in opere typis, & in Hispania excusso: neq; id vllate, nus nisi veritate cogente facturū: ob idque illi assentiri. Per quę satis superque dilutum est primum.

Ad secundum respondeo, pudere debere illos velle Romæ Romanis persuadere Regiam Hispaniæ Maiestatē malè mihi velle in Hispaniis, eò quod ipse hic faslus fucrim nullo me suæ curiæ munere ab eo donatū. Primum, quia maligne inuertunt ad nem probandi odium in me tanti Regis ea, quæ candidè afferui ad finem ut magis crederetur mihi de laudibus eius differenti. Deinde quod eodem argumento probarent Maiestatem eius quæ in omnes, etiam exteros præcellēter est benigna, odisse omnes quos ipse nouit, & vulgus a estimat eius munificētia dignos, si eos muneribus suæ curiæ minime donaret. Immo & Maiestatem Apostolicam, & Francicā odio habuisse summum illum Thomam Aquinantem, qui eorum in Imperiis degens, nullo ipsarū curiarū munere functus fuit. Et ne respondeant quod ille

ille fuit religiosus considerent me quoque  
iam inde à 6. ann. esse talem, quāuis imper-  
fēctū & infirmū; vt ille perfectissimus & san-  
ctissimus. Quæ consequētia, quām ab urda-  
sit, nemo non videt cū multis aliis de causis  
quām odij paſſim id contingat: putā, quia  
non eḡnt eis vel non expertunt ea, vel non  
petunt, vel tanquam eis mihi expedien-  
tia, minimè acceptant: vel quia solus poten-  
tiæ diuinæ est omnes pro meritis donare.  
Ob quarum aliquas causas, id erga me ab  
eo factum, in eodem ipso loco quem ipsi  
citant, affirmo: in hæc verba. Quia contem-  
nus & supra mērita ornatus honore ac ho-  
norariis quatuor prædictarum, quæ celeber-  
rimæ sunt academiarum, nunquam curiæ  
Regiæ munera, in hunc usque diem am-  
biui, neque peti, neque accepi. Præterea,  
quòd, licet non acceperim, oblata tamē mi-  
hi fuere. Nam Deus quem in testem inuo-  
co, nouit, quòd ante 35. annos, cùm nondum  
Salmanticæ villam cathedralrum maiorum,  
naeſtus essem; oblatus fuit mihi locus in con-  
ſilio Regio Regni Nauarræ, quod ſolet reſi-  
dere Pampilonæ, vna cum canoniciatu illius  
Ecclesiæ Cathedralis. Nouit item quòd ma-  
jora mihi defiderunt, & promiserūt Car-

dinalis ille termagnus Gubernator Ioan. & Tauera & episcopus Pacesis Suarez, qui tunc plurimū non abs te apud Cæsarem & Cardinalem præfatum valebat, posteaq; decretorum cathedralm in eadem Salmatica obtinui; & antequam primæ functionis, adeptus Conybricam Lusitanæ iussu Cæsarum migrarem. Immo & postquam migravi, ut in Castellam redirem. Quæ tamen omnia litteras & scholas feruenti animo sequenti, iuste, mea sententia, minoris illis fuerūt. Nouit item Deus ipse, ad quem modum ab hinc circiter quindecim annos cum cathedra Conybricensi (ut aiunt) iubilata per Pinciam, in qua curia Regia residebat, in patriam Nauarram redirem. Reuerendissimus Ispalensis donnus Ferdinandus Valdesius, quem vtinam in cælo inueniamus, benignissime suscepit, & ardenter desiderauit, ut in magnū Inquisitionis consilium; cui præsidebat, cooptarer: adiiciens palam, è republica futurū, vel creando nūum aliquid munus mihi aptum, in curia Cæsarea retinere. Quæ licet agnoscerem esse meritis meis longe maiora, recusauit ramen: Quia de consensu gloriofissimorum illorum Lusitanæ Regum, nullis pietate, pruden-

prudentia pacis , bellique in infideles, artibus secundorum, præfati Regis sacerorum Dominorum nostrorum, vix obtenta, omnibus, (& in his etiam episcopatus, ad quem vacantem me præsentare voluerunt) prætermisis, omniño decreueram, in quadam insigni ciuitate extera illis solis ad hunc usque diem nota, me includere, ibiq; nomine mutato incognitus aliquot annis incumbe-re opusculis, quæ edideram recognoscēdis; & aliis quæ sub lituris habebam, poliendis & edendis, & manu extrema donādis. Nouis item ipsa Regis soror Germana Prin-ceps Portugalliae D.N. multis nominibus al-tissima; quæ tunc Regna eius gubernabat, euīq; Manuale Confessariorum dedicaram, quam obnixè illo eodem tempore percupi-uit, ne ab eius curia discederem, significans id mihi futurum honori. Quin & vt me à p̄dicto proposito auerteret distictè iussit, vt duo Illustria canonicorū regularium mo-nasteria visitarem; ad ea quæ egerem, illius potestate munitus. Quod & feci, neque vo-luit mihi facere facultatem adeūdi Nauar-ram, donec certior facta fuit, oportere me illò ire ad collocaandas tres ex fratribus p̄-mortuis neptes. Quin & postea cū in Na-

uarra, crure, casu mulæ in quatuor partes  
fracto, in lecto iaceré, iam conclamatus, per  
vnum cursorē, ( qui quarto die à crure fra-  
cto ad me peruenit,) iussit ut ad suā curiam  
illico magno meo honori reuerteret. Cui  
respōdi, me ad maius tribunal vocatū, suum  
adire nō posse. Nouit etiā Deus quòd Mar-  
chio ille Cortensis, Donnus Ioannes à Be-  
nauides Regi perdilectus, & qui eum imi-  
tatus nunquam mentiebatur, è Flandria in  
Nauarram rediens, dixit mihi, à magno il-  
lo Regis Eras̄s̄ rogatum fuisse, vt disceret  
ex me, an possem & velle Regiæ Maie-  
stati, in consilio magno Castellæ inscruire.  
Cui respōdi, me velle quidē ut par erat vbiq;  
terrarū Maiestati eius inseruire, sed ob prę-  
fatā causam tūc nō posse id honestē facere.

Dicat nunc hīc aliquis horum detrāctorum, cur ergo Regi iubenti ut essem Illu-  
strissimi Toletani aduocatus, assensus fue-  
rim, cum munus aduocādi longè minus ho-  
nestum sit, quam superiora, quæ dixi me re-  
cusasse. Cui respōdeo, Maiestati eius notum  
esse, me à prima iuſſione, quod licebat, sup-  
plicasse, causasq; cur id non debebā facere,  
propositūſſe. At eum per Illustriſſimi Com-  
postellani, qui nunc est Ispalensis, & insignis  
Card

Cardinalis, & tunc erat Toletani index, litteras, secundo iussisse, ut omni excusatione, præterquam mortis posthabita, illico Pin-ciam vbi causa tractabatur adirem. Additis præfati Marchionis litteris, quibus significauit, eum meam excusationem agrè tulisse. Cauerémq; mihi plurimum, ne iterato id facerē. Itaq; illico nondū cruris fractura sa-tis sanata adiui, vt eius Maiestati secūdo mi-hi iubenti, & adeò rem tam cordi habenti obedirem. Quod ipsum vt facerem tua ex-cellentia à me super hoc cōsulta, consuluit, adiui reputā causam intra semestre vel ad summum octo menses finiendam. Quod & ipsi iudices subdelegati tunc certum putabant. Adiui certè non vt facerem voluntatem meam, sed eius qui me mittebat Regis facultate ad id & præcepto mei Præfecti Roncauallis factis. Adiui nō quidem quòd Reuerendissimum Toletanum vel de facie antea cognouisse; sed quòd eum putarem innocentem, eò quòd facilè intelligerem, eum à Rege tanta cura eius defensionem procurare plusquā vulgariter diligi. Quod fieri nequibat à Rege tā catholico, creden-te ipsum à fide defecisse. Quamobrē etiam coram iudicibus eum ingenuè admonui, ea

me conditione ipsius defensionem acceptare, vt quām primū clarē nossem ipsum hæreticum, liberè desererem. Quod etiam ipsi placuit, & quia eum nunquam ita noui hæreticum, ( licet in eo falii potuisse ) nec per eum, nec per eius defensores factū est, quo minus causa finiretur, non licuit eū deserere. Immo ne falso iactaretur, malè made illo sentire. vt Maiestati Regiæ dixi, oportuit, ( nō obstante senectute, neque debilitate relicta ex grauissima febri, quæ me paulò antea vexauit ). huc venire ab ultimis Hispaniæ finibus, nempè Olyssippone, prope quam litteræ Regiæ me inuenierunt. Per quæ omnia plus satis manet dilutum, secundum meorum detractorum argumentum, quo arguunt Regem mihi iratum, eō quod eius curiæ munericibus non sim donatus.

Ad tertium autem, fateor, immo gaudeo, me esse Nauarrum & Cantabrum de antiqua illa gente, fidei Regibus præsterrim datae obseruantissima, testante Platina in vita Ioann. vi. Cantabros & Astures, qui omnium Hispanorum postremi Romanis adhæserunt, ultimos eos deseruisse. Nullaque quam nouerim, prudente historiæ

ria, vllum Nauarorum fidem Christi, quam per S. Saturninum discipulum beati Petri suscepérunt, in hunc diem (gratia Deo) deseruisse; & in impiam Iudæorum, Saracenorū, Turcarum, vel Lutheranorum factiōnē transfugisse; etiamsi ab eis captus, & per munera illeetus, vel tormento in id adaptus fuisset. Fateor item & gaudeo me progenitū à prædictis duobus palatiis, Azpilcueta videlicet & Iau-reguicar, quod alio nomine dicitur Baztan. Vnde Bazanes Castellani magnates originem ducunt. Qui in saltu Pyrenæi montis qua parte Vascones Celtas, à Céltiberis diuidit, sunt sita. Quæque licet non sunt adeò opulenta, sunt tamen longè ante Carolum magnum erecta, & nullo in hunc diem gratia Deo damnatae sedetæ sanguine contacta. Quorum alterum alteri hoc solo nomine prælat, quod alterum est vnum ex duodecim, qui præfato Regno nascenti regendo fuere destinata. Quæ res adeo notoria, fortè fuit in causa, ne mei æmuli vllam natalium, & puritatis generis antiquissimi Christicolarū notam obliueret. Fateor etiam, & magno decori duco; quod præfati eorum Domini vna cum suo duce illu-

strissimo Nauarræ Marisco. Excellentia  
tuæ cognato relictis suis laribus sequuti suis  
sent præfatū Io. à Labreto Regē iure tem-  
poris suum, & à se iuratum. Quia licet non  
damnē eos, qui de causis eis notis diuersum  
fecerunt: laudo tamen hos, quod spretis suis  
sua iuramenta Deo reddiderūt. Quod ma-  
gno illi Regis Proavo Ferdinādo, qui Ca-  
tholici Regis cognomen primus adeptus  
fuit, adeò nō displicuit, vt etiā laudaret eos,  
quod imitarētur suos progenitores, qui pa-  
trem suum Regem Nauarræ & Aragoniæ  
contra filium proprium Principem aduer-  
sus eum rebellantem defendidissent, & ipera-  
ret eosdem posteaquam ei iuramento se  
obstringerent, nunquam ab eos defecturos.  
Quæ spes nulla cum ex parte fecellit, Regē  
ipso nostro patr. q; suo imperatore testibus  
locupletissimis. Qui præfato Marisco cre-  
diderunt primum Toletū, deinde Ispalim,  
& postea Regnū Gallicæ sati Galiaæ fini-  
timū. Præfeceruntq; consilio magno trium  
ordinum: & iusserunt, vt status & belli  
consilio interesset. Immo & tandem in pre-  
sidem consiliij supremi delinatus, obiit  
mortem, & fratrem eius D. Franciscum à  
Nauarra cuius. ego 14. anni in Galia primitū,  
deinde

deinde Salmanticæ iuri utriusque incumbenti  
duktor & comes fui, ad duos episcopatus, &  
ad archiepiscopatum Valentinum cœixerunt.  
Taceo fidem illius Illustriss. Marchionis à  
Falces, cui etiam orbē nouum Rex credi-  
dit: & eius fratrum Illustrium ductorū mi-  
litum à Peralta, qui signis Regiis præfeti  
alijs alibi terra marisque militantes aut glo-  
riosas mortes, oppeterunt, aut insignem o-  
perā (vt unus eorum sub Excell. tua ditione)  
vauant. Quorum ducati semper progeni-  
tores mei adhæserunt. Taceo fortēm pru-  
dentemque illum Dionysium ab Eça cuius  
soror cuidam meo auunculo nupserat, cu-  
jusque fidelitas virtus & opera insigniter  
enituit in seditiosos illos Castellanos, qui  
communitatis nomen sibi fecerunt, posteā  
quam à præfato Rege Iohanne à Labreto  
dimissus, Regia signa se quutus fuit. Cusūf-  
que triuni filiorum maximo natu Carolo  
ab Eça non solum Plumbinum Regia Ma-  
iestas credidit, sed etiam istius arcis Medio-  
lanensis aliquato tempore Procastellanus,  
& bonae partis eius cultos fuit, & alijs duo  
ante triennium à Regia Maiestate honoré-  
fice aucti, alter in Flandria, & alter in Hispa-  
nia fortiter Regi militant. Taceo fidelitatē

magni Erassi,& Castelli, qui Regi sunt à se  
cretis, quorum progenitores idē, quod mē  
fecerunt. Taceo complures alios, id solum  
admoneo noto notius, & notoriū facti per-  
manentis esse, quod ambo præfatorū du-  
rum palatiorum meorum auctorū Domi-  
ni ante triennium à Regia Maiestate perpe-  
tuis stipendiis & aliis donariis aucti, nunc in  
Pyrenæi montis angustiis cōtra Gallos Lu-  
theranos residēt. Alter, s. Dominus de Azpil-  
cueta, qui est vicecomes Colinæ Præfectus  
Roncalibus, (genti omnium Celtiberorum  
suapte natura fortissimæ) in ea parte qua  
Nauarram à Bearñio diuidit. Alter verò  
Dominus de Iaureguicar, siue Baztan, in ea  
præfata parte, qua Vascones Celtas à Celti-  
beris sc̄iungūt: in quamcumque occasione,  
cum suæ domini fœderatis ad arma para-  
tus. Per quæ palam satisfactum est tertio  
meorum æmularum argumento.

Ad quartum Respondeo; fateri gaudere  
que me plurimum in Gallis multo tempo-  
re didicisse, docuīs sc̄eque iura Pontificia &  
Cæsarea, immo & eo usque nominis perue-  
nisse, ut à quibusdam Principibus viris in-  
iuitarer & rogarer ad consiliarij officium  
in magno Parisiensi Parlamento, eorum

prop

propria opera & pecunia coēmendum. Solabant enim tunc eiusmodi officia vendi pro eis, quibus erat eruditio nomen iūriū celebre. Fateor hoc inquam illis: quos etiam contra profiteri oportet, me antequā Gallias adirem intra Nauarram & celeberrimam Complutensem (qua in Castella non est) academiam artes liberales & Theologiam scholasticā didicisse. Et quod postea in Hispanias ē Gallis regressus, triginta circiter annos ea iura Pontificia docui, Salmanticæ quidem circiter 14. & Conymbæ & Maiestatis Regiæ parentum iussu quintuplicato sexdecim. Neque nullus negat attulisse me à Tholosa Gallicæ in Salmanticensem, veteris Castellæ academiam, omnium orbis Christiani cum paucis principiis, solidam & perutilēm iuris Pontificij sapientiā, sicut & post me altero anno per doctus iuxta ac perpius ille frater Franciscus à Victoria solidam virilissimamq; Theologiam ex eiusdem Galliæ Paritiis eandem induxit. Cū ante nos ambos integerrimus ille Siliceus in Regiæ magistrum a Cæsare delectus, & postea in Arciupræfulem Toletanum promotus, & aliqui alii Paritiis in eadem Gallia adamassim docti, utrāque philosophi

Iosophilam , & alias artes liberales magnopere in eadē auxiſſent. Si ergo illi quorū aliquot plures annos quām ego in Galliis dīdicerunt & docuerūt, nulla ob-hoc nota immō laude dignos ducunt ; cur ego ſoluſ damnor? An quia Regis duplicito iuſſu R. Toletanū cum collegis meis tot annos iuſſi defenderim? An quōd charior quām ipſi vellent cāperim eſſe Pio V. Pont. Max. Patribusque purpuratis & toti Romæ? Fateor item, me paululum gallicè balbutire, modi non negent præfatos eleganter, & ter maximū Cāſarem Regis genitorem eleganter loquitos. Fateor etiam me ſolen Gallias, in quibus eſt etiā Flāndria cum vi decim aliis ut arbitror dominiis auſta, magnificere; quas qui parui facit, neque illa vidit, neq; Geographiam earum, neque re in eis gestas intelligit. Neque diffiteor mea parte par'eſt, amare Gallias. Tum quia magna pars earum Maiestati Catholici paret. Tum quia, gratia Deo, in eis didic quod eius ope fideliter noſtrates docui. Tū quia quo tempore ipſe in eis degebam, magna erant in Deū religione, & Reges suos obediētia & inter ſe ſimplicitate, humani tate mutua dilectione, dulcīq; ac modeſtū

con-

confuetudine, ab omni vanitate superbiāq;  
 vt plurimum aliena. Tum quia sunt proximi;  
 quis omnes praecepto Christi teneor.  
 diligere. Et iam inde à puero plurimum ad-  
 uersor eis, qui alias eo solo nomine q; sint  
 illius vel illius gentis aut factionis oderunt.  
 Quare frequentissime aduersatus sum in  
 Nauarra, Nauarris illis, qui alias Nauarros,  
 eo solo quod essent alterius factionis, ode-  
 rant. In Galliis item illis Gallis, qui Castel-  
 lanos eò sole quod Castellani essent, ode-  
 rant; Non enim Nauarros & Gotholanos,  
 quorum copia magna solet esse Tolosæ, li-  
 cet nos omnes esse Hispanos nosscet. Sic ad-  
 uersari solebam in Castella illis Castellanis  
 qui oderant Francos eo solo nomine, quod  
 essent Franci, & qui iure vel iniuria facile  
 irridebant & despiciebant Portugallos: Et  
 in Portugalia Portugallis, qui iure vel iniu-  
 ria facile oderant Castellanos. & nunc plu-  
 rum defero Romanis, qui nos omnes cu-  
 iuscunq; gentis homines, humanè tractant;  
 & cum iudicio dignos honore suscipiūt, &  
 amant; de aliis autem eò indignis parū cu-  
 rant, sed non eos afficiūt iniuria, nisi eis fue-  
 nt iniurij. Quod profecto proprium est  
 Christianorum. Quoniam secundum Chri-  
 stianam

stianam doctrinam in omni gente, & fa-  
ctione, qui facit iustitiam, est Deo acceptus,  
& amandus. Et contraria in omni gente & fa-  
ctione qui facit iniustitiam, est Diabolo ac-  
ceptus, & quatenus talis, odio habendus, &  
quia in omni gente & factione sunt boni, me-  
liores, & optimi, mali, peiores, & pessimi  
quos omnes quidem ad unum diligere oportet,  
sicut propter Deum, & ut licet hos, qua  
parte mali sunt, odif esse; ita illos, quia patre bo-  
ni sunt, oportet amare. Tum quia olim Tho-  
loſæ anno circiter 20. supra 1500. habuit  
scholis tempore carnis priuij prælectionem  
(qua repetitio appellatur) pudicā & paci-  
ram, cōtra multas qua illo tempore passim  
habebantur, spurcas & seditiones; super illud  
procēmij Decretalium, Rex pacificus pa-  
miseratione voluit, sibi subditos fore pudi-  
cos, pacificos, & modestos. Ad quam velut  
ad rem nouā, non pauci confluxerunt. Quā  
inter alia multis persuasi, solas duas in orbi  
Christiano esse gentes. Alteram qua Chri-  
sto; alteram qua Sathanæ militarent. Ideo  
que illorum Francorum, qui honestatis lit-  
terarum studiosi haberi volebant, esse, ama-  
re, colereque Hispanos, Vascones, Britones  
& alios aliarum nationum, qui Tholosæ in-

teris, & honestati operam dare fatagebant.  
 Et contra, nostra Hispanorum, & aliorum  
 aliarum nationum, qui honestatis & littera-  
 rum studiosi haberi volebamus, erat ama-  
 re colereq; Frācos earundē studiosos. Quòd  
 factū fuit, vt in omnes cuiuscūq; gētis hone-  
 stos promiscuē cresceret amor, & in omnes  
 cuiuscunque gentis inhonestos decresce-  
 ret. Tum dēnique quòd cum omnes Chri-  
 stiani debeat se reputare aduenas, & pe-  
 regrinos, iuxta sententiā Petri; & iuxta sen-  
 tentiam B. Pauli, non habere hīc ciuitatem  
 manentē, sed futurā inquirere, cum p̄mis  
 id facere debo ego; quē Nauarra genuit,  
 Castella noua Compluti educauit, Gallia  
 vitum fecit, Castella vetus Salmanticæ sub-  
 limauit, Lusitania ornauit, decorauit & lon-  
 gè supra merita mea illustrasset, nisi, vt  
 p̄dixi, aliò me spiritus, (vt putabam) bo-  
 nus direxisset. A qua sola etiam nunc ho-  
 norificē inauditis meæ cathedræ stipendiis  
 perpetuis alor. Vnde reuersum vtraque Ca-  
 stella & Nauarra benignissimē excepit, tra-  
 stauit, & opera mea consiliisque meis gra-  
 tuitis 12. circiter annis est vfa. In quibus,  
 (quod gloriæ magnæ duco) aliquando fui  
 à sacris confessionibus præfatæ Regis so-  
 rori

rori Germanæ incomparabili Portugaliæ Principi D. N. & eius ex sorore nepotibus Bohæmiæ Principibus non solum tulis auitis, sed etiam propria indole virtutum animorum, corporumque gloriofissimis. Et tandem per varios casus: & multa discrimina vitæ, in Italiam totius orbis provinciarum nobilissimam veniens, iam circiter triennium Romam Christiani orbis matrem & magistratam, annum 78. agens colo. Cum igitur præ alis meæ conditionis viris debeam me peregrinum reputare, cur non imiter eum qui pro nobis factus peregrinus, omnes cuiuscunque genus homines amat, nullius personam accipit, vnumquemque pro sua in eum fide, spe, charitate atque aliis virtutibus collaudat, vel sua in eum impietate aliisque peccatis vituperat? Cu. imitatus eum, non amen omnes cuiuscunque gentis saltē propter eum? & bonos etiam propter eorum bonitatem? Cur non omnes malos, qua parte sunt tales, oderim? Cur non omnibus sine alterius iniuria proxim, vel prodeesse velim? Cur non ab alterius iniuria abstineā, etiam per eā Nauarro alicui, vel Hispanio alijs, vel etiam mihi ipsi prodesem? Ablit à me Princeps Excell.) ut credat

eredar vlli, et iam mei natalis soli Regi longe benignissimo cum alterius iniuria contra diuina Christi precepta obsequuturus. Tantum abest, ut cum eius iniuria vlli alij obsequar. Per quae omnia satis superquam monstraui, non esse presumendu, me a tam benigna Maiestate odio haberi, eodem quod in Galliis multo tempore iura didicerim, & docuerim, & quod Gallias, qua parte par est, magnificiam & diligam. Quod aduersariorum quartum argumentum praeterebat.

Dilutis argumentis quibus detraactores mei clam me persuasisse putant presumendum esse mihi Maiestate Regia infensam: adiungam pauca ex multis, quibus contrarium iure presumi oporteat. In primis quidem, quod cum primum Tholosam causa iura discendi adiisset, a Gallis in Gallia didici rationem prefatam, qua prefatus Rex Catholicus Ferdinandus Navarram iuste retinere posset, quam a nullo in Hispaniis Hispano audire memini.

Secundum, quod post aliquot annos, bonus, ut credo, spiritus mihi persuasit, Gallias cito esse rursum, quamvis non tantum, neque illius generis ruina, qua ruerunt. Quod persuasi omnibus & singulis, qui unam

K

horam ea de re me differentem audierunt,  
 è quorum numero fuerunt etiam præfatus  
 Mariscalus Excell.tuæ cognatus , ipsiusque  
 frater Archiepiscopus Valentinus , præfa-  
 ti Regni cum paucis primi . Quibus etiam  
 persuasi è re Christi , & Nauarræ publi-  
 ca , & sua , cognatorumque suorum & eis  
 adhærentium priuata; imò & ipsiusmet Re-  
 gis Iohannis , viri natura pacifici , cui tan-  
 tū erant oneri , fore ; vt primo quoque  
 tempore oblata iusta occasione , absque ta-  
 men iniuria Galli , cui Mariscalus militabat;  
 in suam redirent patriam . Quo facto , tota  
 ea tranquillata fuit : & Regia Maiestas le-  
 uata bona parte curarum , & impensarum ,  
 quibus defensio illius Regni egebat , illis in  
 Gallia degentibus .

Tertium , quod post biennium sequu-  
 tus fui eos , recusatis , cum gratiarum ta-  
 men actione , horis ad legendum honorifi-  
 cis ab academia Tholosana mihi præstitu-  
 tis , & multis aliis , quæ Gallia vt dixi , pro-  
 mittere benignè cooperat .

Quartum , quod meo illo transitu &  
 magnis argumētis persuasi Mariscali præ-  
 fati sequacibus , licet non citra sudorē , posse  
 illos recta conscientia credere iuste Nauar-  
 ram

ram à Regibus Catholicis teneri, eisdemq;  
militādo bene mereri. Ad quod plurimum  
profuit quòd ego, qui eram ciudē opinio-  
nis, & factōis quarū ipsi non solū verbo,  
sed etiam factō relictis Galliæ muneribus,  
in Hispanias nullo penitus munere Regio  
ad id allectus, traieci: & Salmāticam pau-  
lò post adiui. Quæ res quanto fuerit ob-  
sequio Cæsari, & quantæ animarum præ-  
fatarum tranquillitati Deus Optimus Ma-  
ximus nouit.

V. Quòd plurimum Regiæ Maiestati  
Salmanticæ inferui. Si seruire Regno est  
seruire Regi, prælegendō circiter 14. annos  
tam in æstate, quam in hieme, quotidie ge-  
minatis, & frequēter triplicatis horis. Quod  
plerique omnes præfecti consiliarij, ac con-  
fessarij, imò & prælectores gymnastę totius  
Regni, quorum bona pars me audiuit, in-  
genue pro sua in Deum, & in me charita-  
te, testantur.

V 1. quòd primariæ functionis sacrorum  
Canonum cathedrā Salmanticēsem, quam  
nullus ante me vñquam auditur reliquisse,  
nisi ob opulentum episcopatum, præfatæ  
Imperatricis Regiæ matris obnixo rogatu  
reliqui, præcedentibus quinque iussibus,

## 148 DE FIN. HVM. ACT VVM

duobus eiusdem Imperatricis , quæ absen-  
te Imperatore , illius regna gubernabat , &  
tribus eiusdem Imperatoris , qui tunc superue-  
nerat , quibus academiam renitentē , & ab  
eis supplicantem , adegerunt , vt mihi facul-  
tatem abeundi ad confirmandam Conym-  
bricensem recens fundatam in Portugallia ,  
faceret ; qua sine , iuraueram me nullate-  
nus eam relictūrum , ne summorum mihi  
ab ea beneficiorum collatorum immemor  
esse iudicarer .

V I I . Quod præfatorū Regis nostri pa-  
rentum mādato in Conybricā translatus ,  
præfatis eius saceris Lulitaniæ Regibus D.  
N. circiter 16. ann. ope diuina , tāta fide , cura ,  
studio & labore , nullo morbo vel alio nego-  
tio impeditus , omnibus id attestatibus ser-  
uiui , q; non solū ipsi me insigniter diligerēt ,  
sed etiā omnes eoū regnorū , tam summa-  
tes quam mediocres & infimates egregiè  
me etiā in hunc diem diligunt dilecturi , vt  
spero in Deo , atērnu . Neq; tantū dilexerūt  
& diligunt , sed etiam ex animo cupiunt , vt  
recognitis & editis meis operibus , ad eos  
reuerterer , insigni aliquo apud eos hono-  
re sepeliendus . Quæ obsequia , parentum  
Regis mandato , ctsi non est superbū di-  
cere ,

ēere, rogatu; fratribus eorundem & Regis  
saceris præstiterim; imò & cùm literas eo-  
rundem habeam in hūc diem seruatas, qui-  
bus promiserunt, se imputaturos sibi, quæ-  
cunque suis fratribus obsequia præstarem:  
nonniē illorum, & Regiæ Maiestati præstita  
censenda sunt? Præfertim q̄ Deo Opt. Max.  
teste, Maximus ille Gubernator Cardin. Io-  
han. à Tauera, mirāti mihi, q̄ Maiestas Ca-  
stellana per litteras iustitię de supremo eius  
consilio, (cui tunc ille præsidebat) emanatas,  
adèò absolute iuberet Salmanticae, vt mihi  
suo gymnaſtæ facultatem adēudi Conym-  
bricam faceret, resporidit, quòd Maiestas  
Castellæ, Maiestati Portugalliae, cùm ob  
alia, tūm verò maximè ob fauorem, & au-  
xilia insignia, quæ Castellæ præstiterat,  
quando aduersus Cæsarem à regno absen-  
tem insurrexit Castellana cōmunitas, quòd  
iure Cæsar velle debebat, non tantum vt  
Salmantica, quæ pars quædam Castellæ est,  
ideoque ipsius salus à totius salute pende-  
bat aliquam ob meam absentiam iacturam  
pateretur; sed etiam vt aliæ se offerrent  
occasionses gratificādi tam vicinę, tamq; co-  
gnatæ ac amicæ Maiestati, & si id sine ali;  
quarū partiū maiore iactura fieri nequiret.

VIII. Quòd præfatis his annis multos libros Regiis Reginis eruditorum iudicio vtilest cōposui. Primum, in tres de pœnitentia distinctiones posteriores, dicatū Regi & D.N.Ioanni tertio Regum ætatis suæ, absit verbo adulatio) religione, eleemosynis, ornatu, prudētia tam belli quam pacis artibus insignita, iustitia, clementiæ radiis corusca, magnificentia omni genere modestiæ decora exemplari. Secundum de laude & detractione in c. Inter verba. II. q. 3. Tertium, de oratione vocali, in cap. Quando, de confecr. dist. I. Quæ duo lingua vulgari scripta, dedicaui Reginæ Catherinæ huius nominis primæ, præfato Regi suo coniugi omnibus præfatis nominibus pari, & eō quòd ei superstes in dies se maior fit; & in educando amborum nepote Rege nostro Sebastiano tam sanctè vt speretur, omnes suos auos & proauos superaturus sillo superiori.

IX. In c. si quādo & c. Cum cōtingat, de rescript. super habilitate ad beneficia, & remedium contra censuras malè latas, ad eandē Reginā, sed latinè. V. de vtraq; suprema potestate in cap. Nouit, de iudic. supremo illi Principum flori Regis D. N. Philippi soro rō dedicatum. V. I. Manuale confessario-

rum

rum lingua Lusitana ad Cardinalem infan-  
tem donnum Henricū præfatorum Regum  
fratrem multis nominibus superillustre &  
incomparabile ascriptum. V i i . ipsummet  
Manuale Castellano sermone donatum &  
auctū, Donnæ Iohannæ sorori Regiæ ger-  
manæ Portugallie Principi multis nominis  
bus altissimæ D. N. in Castella oblatum.

V i i i . de Indulgēt. in §. In Leuitico de pœ-  
nit. dist. i. Latinè ad illā probè latina calen-  
tem Infantem Donnam Mariam præfato-  
rum Regum sororē , & in Reginam Hispa-  
niarum à Cæsare delectam , & à tota Hi-  
spania maximè desideratam , immo & ab  
Rege nostro Philippo per procuratorem  
iamiam ducendam vxorem, si vnum diem  
integrum plus Eduardus Anglus vixisset.  
quod maximo Hispaniarū & totius Chri-  
stiani orbis malo, malus aliquis spiritus im-  
pediuit. I x. de amissione posseſſionis per  
renunciationem in cap. Accepta. de restit.  
spoliat. ad longè Illuſtr. episcopum & Co-  
mitem Conybricensem Didacum Soa-  
rez ; cuius me bonam partem pronuncia-  
tem tribus horis attentissimè in frequen-  
tissimo confessu audiuit. X. de armis &  
aliis rebus ad infideles non exportandis , in

cap. Ita quorundam, de Iudeis illustr. Col-  
legio Societatis Iesu Conymbricano dicata-  
tū. XI. de plurimis piis additis ad p̄fatas  
repetitiones c. Quando, Reuerent. Abba-  
tissæ S. Claræ Albiæs Donnæ Annæ ab Ez-  
peletæ Nauarræ ascriptum. I x. Quod re-  
uersus Conymbrica Portugalliae in Castel-  
lam, primum p̄fatae Reginæ Maiestatis so-  
roris D.N. quæ Regna eius tunc guberna-  
bat iussu, duo Illustr. ordinis canonicorū re-  
gularum monasteria, non sine laude bono-  
rum, visitaui. Deinde iussus à consilio Regio-  
magni, ut Manuale p̄dictū in Castella ty-  
pis excudi facerē, annum circiter integrum  
latens, intra typographi domū inclusus, im-  
pendi, & recognoscendo & augēdo & com-  
ponēdis quinque cōmentariis refectoriis,  
quos illi Principum summo Carolo; (quem  
mors immatura, sūisque omnibus Imperiis  
inuisa tulit) dicaui. Et quod ab eo loco in  
quo latebā euocatus, p̄fatae Principis iussu  
adiui eius curiam, & iuper dubiis maximis  
neq; minus cōtrouerſis statutisq; publicum  
tangentibus, respōdi, Deo, & Regi, (vt euer-  
sus docuit) grata. Et postea Regis Maiesta-  
tis geminato iussu, causam Reuerendissim.  
Toletani, qua parte iusta eslet, defendēdam.

cum

cum aliis collegis meis suscepi. In quanta totos nouem annos finiendos dimidiato mensa Aug. huius anni 1570. impendi, vna cum doctore Delgado, cum primis sui ordinis prudenti, pio, & docto, collega meo plurimum mihi suspicioendo, qui aliquot menses ante me Pinciam ad idem negotium iuerat; Idque feci, plerisq; omnibus astimantibus, decere me magis agere iudicent, (qualem etiam in inquisitione Lusitaniæ aliquando egeram) quam aduocatum, qualis nunquam fucram, praesertim coram iudicibus, qui me cum discerent Salinanticæ doctorem celebre ibi viderant. Quod feci, & facio aeternus à recognoscendis & edendis meis lucubrationibus, cuius rei causa præcipue Conybricam reliqui: In qua est notorium perdidisse me ac perdere quotannis, quingentos ducatos, seu cruciatos ex salario mihi statuto, quo ipsam meā cathedram cum mille ducatorū salario mihi statuto iubilatam prælegarem, & multos alios incertos, quos vti Decanus conferendo gradus, praesidendo, & consulendo, lucrari poteram fruens gratuita habitatione in palatio Regio, sito in terra omniū quas ego colui, temperatisima, saluberrimaque. Tandemque

K 5

## 14 DE FIN. HVM. ACTVVM

cum libellum de redditibus ecclesiasticis,  
quem sermone vulgari Regiæ Maiestati di-  
cauerā latinitate donatū S. D. N.Pio Papæ  
V. hic offerre vellem; perpendens , multos  
etiam alioqui Regi bene affectos , parū de-  
center de tanta Maiestate sentire, non satis  
quidem polito stilo, sed satis magna meorū  
dictorum fide, nomen eius & gloriam ven-  
dicaui.

X. quòd tua ipsa Excellentia nouit &  
multi alij testantur præfatum Regē non pa-  
rum responsis de iure meis deferre solitum:  
epistolásque meas pro sua , (quæ incompa-  
rabilis est) benignitate, libenter legere preci-  
bus meis etiam pro aliis porrectis benignè  
annuere : palamque esse, preces pro me su-  
per habendis ad imprimēdum opera mea  
priuilegiis , benignissimè audisse. Immo &  
Carolum I X. Galliarum Regem rogasse,  
vt nemo in regnis eius, opera mea sine meo  
consensu imprimeret. Quod amplissimè il-  
le concessit; afferens se ad Regis nostri, sui-  
que fratri instantiam concedere in literis  
quæ super hoc Gallicè confecte, & iam ali-  
quot ex operibus meis præfixæ , prostant.  
Ncq; memini quicquā ab eius Maiestate pe-  
tiisse, quod non concesserit. Immo contra,

non

non semel audiui gratum in futurum, ut aliquem à se honorē peterem. Quod etiā ex eiusdē verbis arbitror me bis subintellexisse. Quē, quia, ut ait Aug. Otiū sanctum querit charitas veritatis, & negotiū iustū suscipit necessitas charitatis; non petij, neq; licuit fortè petere, etiam si licuisset accipere.

Cum igitur Excellentiss. D. omnia hæc, quæ in præfatis decem dictis continentur, sic se habeant. Cūmq; argumenta æmularum mōstrauerim esse fallia, vel impertinentia, iustū profectò arbitror credendum esse Maiestatē Regiā in omnes adeò benignā, & gratam, non esse in me solum, à sua conditione ingenita, longōq; habitu aucta, alienam, ut me, quem debet diligere, oderit.

Quare, supplico Excellentiæ tuæ, ut pro isto quo es in me candore animi, efficias ea via quā tua rara prudētia, spiritus sancti gratia fulcita suggesterit, ne me S.D.N.gratia, qua prosequi cæperat destituat; eo quod paret me tanti Regis gratia priuatum, & ut Regia Maiestas dignetur significare me sibi fidelē, Regnisque suis utile fuisse, id est q; sibi non esse ingratum, quod maximo beneficio ducam. Quoniam post Maiestatis Diuinæ gratiam, maximè debo expetere  
Apost

Apostolicam, & Regiam, qua fouear & ser-  
uiam tranquillius Deo Opt. Max. qui faxit  
vt Excellentia tua in Nestore oꝝ annos, ma-  
gis ac magis illius supernis augeatur donis,  
quibus promissiones eius, quæ omne des-  
iderium superant, consequatur vna cum Il-  
lustr. D. Donna Iohanna de Alhama Duce  
Gubernatriceque pientissima. Amen.

Ratio cur non solūm Regem Philippū  
appello D. nostrum, sed etiam Regem Por-  
tugalliae; illa est, quod sicut origine sum Na-  
uarrus, & ita Regi Philippo subditus; ita  
domicilio iussu patrum eius in Lusitania  
contracto Regi Portugalliae subditus. Vtri-  
que sine tamen alterius, & alias cuiuscumque  
iniuria, omnibus nervis Christiane ( vt de-  
bco) Diuina ope inferiturus. Quo utinam  
tranquillentur animi eorum, qui se suaque  
tantum norunt, & amant; ob idque etiam  
eo nomine me taxant quod in amando, co-  
lendo, laudando, &c, qua parte par est, magni-  
ficando Imperium Lusitanum, eis videat  
æquò longior: cum tamen palam sim eis  
qui illud, illiusque res gestas nouerunt lon-  
gè breuior & curtior. Neq; tua hoc Excel-  
lentia Excellentiss. Princeps miretur. Quia  
nō desunt, qui me male affectum Hispanus  
iudic

judicent, eo quod Romam, & alias Italas  
Urbes, e quibus est etiam ista Mediolanum,  
absolutè omnibus nominibus, Vrbibus il-  
larum insignibus non postponam. Cum ta-  
men id, absque Dei, conscientia que meæ  
offensa nequeam facere. Tam putat aliqui,  
neminem esse verè Hispanum, qui verè vel  
secus, omnia Hispaniarū omnibus aliarum  
gentium non præfert. Quasi egeat Hispania  
yllius mendaciis, quod credatur esse pars  
Orbis Christiani cum primis nobilissima.  
Et quasi non sit verum illud, Terræ omnes  
non possunt omnia ferre.

*Etiam atque etiam vale Prin-  
ceps Pientissime.*

IND

INDEX CPIOVS  
EORVM QVAE IN HOC  
opere continentur.

A



- Citus cuiuscumque virtutis quamlibet bonus,  
si principaliter fiat ob bonum tempore,  
sive pecuniarium, sive honorarium  
malus. num. 30. fol. 54
- Actus ex se bonus, non fiat malus, ob præstitutionem ho-  
noris, & aliorum bonorum utiliū pro fine, duo exi-  
gi. nu. 67. 98
- Actus idem non potest esse bonus & malus etiam diuer-  
so respectu. nu. 17. 28
- Actus omnis cuius finis etiam minus principalis est ma-  
lus, malus. nu. 38. 61
- Actus omnis fine bono apto carens, malus; etiam si ma-  
lo quoque caret. nu. 58. 88
- Actus quibus candidati specimen ingenij, eruditio-  
nis, virium & aliarum dotium exhibent ad proma-  
randa premia plus merentibus proposita quomodo  
ut sint boni fient. nu. 68. 106
- Actus virtutis iuste fit minus principaliter ob tempore  
lia bona. nu. 33. 54
- Actus virtutum facti principaliter ob salutem & vita-  
mali secundum Adria. Id tamen non esse uerum in  
omnibus. nu. 32. 54
- Actuum de se bonorum, cur bona pars mala. nu. 70. 106
- Adulterij peccato cur maius homicidium. nu. 52. 71
- Amare Dcum eque ac aliud uel minus comparatiuē po-

## I N D E X.

<i>catum, non autem simpliciter.</i> nu. 24.	29
<i>Amat qui aliquid ita ut malum frangere legem ad mortalem obligantem, quam desistere ab illo amore, peccat mortaliter.</i> n. 21.	28
<i>Antinomiae quedam graues noue conciliantur.</i> nu. 28.	
<i>C 29.</i>	45
<i>Apologia in eos qui falsis &amp; impertinentibus de causis nisi sunt persuadere Romae, infensum esse authori Regem Philipum Hispaniarum huius nominis secundum.</i> nu. 76.	116
<i>Authorum iuste potuisse, debuisseque suum honorem defendere.</i> n. 75.	116

## B

<i>Beatitude titulo qui &amp; qua ratione iuste gaudient.</i> nu. 14.	27
<i>Beatitudo &amp; uirtus ut comprehendit diuinam &amp; humanae; &amp; ratio ut est genus ad naturalem &amp; super-naturalem.</i> nu. 34.	54
<i>Beatitudo in nulla re creata consistit, etiam iuxta naturalem rationem: non in diutijs, non in honoribus, non in fama &amp; gloria, nec in potentia, non in ullo corporis uel animae bono, nec uoluptate, licet inhæreat amarum, sed in solo Deo qui eam producit.</i> nu. 12.	27
<i>Beatitudo in quo consistit, &amp; quid sit essentialiter.</i> numero 11.	27
<i>Beatos multos false dici.</i> num. 13. <i>Et est duplex re, &amp; spe consummata patriæ, &amp; consummada uiae: &amp; hanc tales, &amp; tales habere.</i> nu. 14.	27
<i>Bona facere publicè, non esse facile omnibus, ideo fugiendus multis episcopatus.</i> nu. 73.	106
<i>Bona honoraria esse bona fortunæ, ineptaque ut sint finis</i>	
<i>princ</i>	

## I N D E X.

- p**rincipalis uirtutis.nu.44 73  
**P**ossunt autem esse finis minus principalis.n.45. 72  
**B**ona insignia publice facturas, quid præmeditari debet,  
ne sibi toxica fiant.nu.71. 106  
**B**ona qua quis facit, nosse et uelle ab alijs illa probat  
licet.nu.54. 87  
**B**ona uirtutis et animæ præstantiora bonis corporali  
bus et utilibus.n.30. 54  
**B**onorum honorariorum, que quinque sunt appetitus, et  
contemptus fit malus ex fine malo, qui contingit tri-  
pliciter.nu.57. 88  
**B**onum aliud, propter se solum, aliud, propter alium so-  
lum; aliud propter se, et aliud amabile.n.24. 29  
**B**onum delectabile propter se amabile.n.5. 13  
**B**onum duplex, verum et apparet: Id est triplex, bone-  
stum, delectabile, et utile.n.3. 13  
**B**onum quoddam propter se tantum amabile, quoddam  
propter aliud tantum; quoddam propter se et pro-  
pter aliud, et que sunt illa.n.5. 13  
**B**rauca ad honorem incitania licita.n.45. 74

**C**

**C**ausa finalis incaute diffinitur à Barth.nu.37. 61  
**C**oronas honoris uarias pro uarijs gestis Roma  
instituit.nu.45. 74

**D**

**D**eus firmius necessario mandus, licet non seruen-  
tius et intensius.n.20. 28  
**D**istributiones ob lucrandas minus iustè surgitur. nu-  
mero 39. 64  
**D**octoratus in Theologia sine mortali potest assumi prin-  
cipaliter ad gloriam humanam ab idoneo.n.64. 98  
**E**leemos

I N D E X.

E

**E** Leemosynam maiorem largiri eo quod publice uel  
à maiore petatur, non esse malum. nu. 72. sed me-  
lius esse curare ne sic petantur. nu. 73. 106  
Leemosynam publice largiri debere Pr. elatos. nu. 73. 106

F

**F** Ama quid? & aliter quam à iureconsulto diffinita.  
nu. 48. 73

Fine à suo actus suam speciem sortiuntur, qui finis est  
primus in intentione, licet quando est aliis ab ob-  
iecto, sit ultimus in executione. nu. 10. 27

Fine de ultimo uite humane inquisitio Aristotelis non  
adecò magnificienda &c. quia facile aliunde discitur.  
num. 11. 27

Finem ob aliquem esse ultimum humane uite etiam na-  
turali ratione probari. nu. 15. 28

Finem ob aliquem hominem & alia omnia agere, sed  
alia & alia ratione. nu. 10. 27

Finem ob ultimum hominem omnia agere, non uideri ue-  
rum contra Thom. nu. 15. 28

Finem principalem non arguit cessatio operis illo cef-  
sante. nu. 37. 62

Finem quo satisfit obligationi ponendi finem actui. nu-  
mero 35. 54

Finem ultimum nō ponit omnis in eo in quo etiam scien-  
ter mortaliter peccat. nu. 22. 28

Fines duos ultimos etiam falsos, nemo uno & eodem  
tempore habere potest. nu. 20. 28

Fines & scopi ultimi in quos viatores omnia referant,  
duo sunt. nu. 25. 44

Fines multi possunt esse principales eiusdem actus. nu-

L

I N D E X.

<i>mero</i>	37.	
<i>Fines ultimi falsi tot quot falsæ opiniones putant esse omnium amabilissima.</i>	<i>nu. 20.</i>	62
<i>Finis cuius malus ipsum quoque malum: &amp; finis cuius bonus, ipsum quoque bonum.</i>	<i>nu. 1.</i>	28
<i>Finis &amp; medium potest esse idem diuerso respectu.</i>	<i>nu. mero 4.</i>	12
<i>Finis exactè diffinitur &amp; declaratur.</i>	<i>nu. 3.</i>	12
<i>Finis iterum duplex, cuius, &amp; quo.</i>	<i>nu. 6.</i>	13
<i>Finis iustus omnium actuum, omnium uirtutum Deus, Beatitudo &amp; uirtus ut comprehendit diuinam &amp; humanam, &amp; ratio ut est genus ad naturalem &amp; supernaturalem,</i>	<i>nu. 34.</i>	14
<i>Finis malus, quia malum culpe, &amp; finis malus, quia incepimus multum distant.</i>	<i>nu. 36.</i>	14
<i>Finis minus principalis, &amp; obiectum orationis possunt esse temporalia, non autem finis principalis,</i>	<i>nu. mero 43.</i>	62
<i>Finis minus principalis inferuientis Deo, ecclesiæ &amp; prælato, potest esse beneficium ecclesiasticum, &amp; mutuantis lucrum.</i>	<i>nu. 39.</i>	62
<i>Finis minus principalis nullius actus uirtutis potest esse bonum temporale.</i>	<i>nu. 39.</i>	62
<i>Finis non idem iuris utriusque secundum Communem: sed contra Fortunius, qui quatuor dictis saeatis conciliatur. Quodq[ue] beatitudo uera quæ Christiana est, supernaturali tantum lumine cognoscitur.</i>	<i>nu. 29.</i>	45
<i>Finis operantis licet sit posterior fine operationis secundum ordinem executionis, est tamen prior secundum ordinem intentionis: &amp; ita principalior.</i>	<i>nu. mero</i>	

I N D E X.

<i>mero 26.</i>	44
<i>Finis primò duplex, ultimus &amp; medius. Ultimus item duplex, uerus &amp; falsus, medius item duplex. numero 4.</i>	13
<i>Finis principalis actus uirtutis, nequeunt esse laus, honor, fama &amp; gloria. nu. 44.</i>	72
<i>Finis principalis orationis iustus nequeunt esse temporalia. nu. 43.</i>	62
<i>Finis quartò duplex bonus &amp; malus, cum suis diffinitionibus. nu. 8.</i>	13
<i>Finis quintò duplex principalis &amp; minus principalis cum suis diffinitionibus. nu. 9.</i>	13
<i>Finis tertio duplex, operationis, &amp; operantis. n. 7.</i>	13
<i>Finis uerbum, masculino &amp; fæminino genere proferatur. nu. 2.</i>	12
<i>Finium humanarum actuum cognitio ad rectè uiendum, &amp; examinandam conscientiam necessaria. nu. 1.</i>	12
<i>Fortia facta ob honorem, aut pudorem peccata. numero 31.</i>	54
<i>Fortunius Cantaber laudatus. nu. 29.</i>	45

G

<i>Gloriam ob humanam facere aliquid, tanquam ob pretium uel alias differunt. nu. 64.</i>	98
<i>Gloriam Romani gentiles cur uitæ preponebant. numero 52.</i>	73
<i>Gloria pro seruanda non obiisse Eleazarum, sed pro uirtute, quæ gloriam meretur. nu. 53.</i>	73
<i>Gratianus aliqua tribuit utiliter Augustino cōtrarius Erasmo, qui multa ei damnosè adimit. nu. 2.</i>	12
<i>Gratia gratiæ faciētis effectus quidā insignis. n. 19.</i>	28

I N D E X.

H

**H**onoraria bona quæ probat esse inepta pro fine  
actus uirtutis, intelligenda de fine principali,  
et quæ contrarium probant de minus principali.  
nu. 46. 73

Honoraria bona quæ sunt quinque tum demum pro  
fine minus principali recte ponit cum referuntur in  
alium actum; alias non, cum pulchra declaratione.  
nu. 62. 98

Honoraria bona s. reuerentia, laus, fama, honor et  
gloria conueniunt. Primo quod nunquam aliud pro  
alio ponitur, secundo quod nullus eorum est uirtus, et  
quod sunt bona externa fortunæ, excepta aliquan-  
do reuerentia, et quod non sunt propter se aman-  
da. num. 50. Tertio quod omnia illa sunt maiora  
quam pecuniaria. Quartò quod sunt maiora quam  
uita, et alia corporalia bona. nu. 51. 73

Honor exhibetur et recipitur iuste cum debetur et  
spontè datur. nu. 56. 87

Honorariorum bonorum appetitus inordinatus, ut plu-  
rimum ueniale peccatum, sed quinque casibus mor-  
tale. nu. 59. 106. Quod ipsum dicendum de contem-  
ptu eorum. num. 60. Et etiam de appetitu et con-  
temptu cæterorum bonorum utilium. nu. 61. Et de  
complacentia et displicentia, de obtentu omnium  
tam honorariorum, quam aliorum utilium. nu. eo. 88

Honorariorum bonorum appetitus non referens ea in  
aliud, est malus. nu. 58. 88

Honorariorum bonorum appetitus uel contemptus fit  
bonus ex bono fine, qui triplex ponitur à Thoma.  
nu. 55. cui adduntur alij tres. nu. 56. 87

Honor

## I N D E X.

<i>Honorariorum bonorum, que sunt quinque, appetitus</i>	
<i>&amp; contemptus, suaptè natura neque bonus, neque</i>	
<i>malus.</i> nu. 54.	87
<i>Honore pro seruando moriendum, uulgatum elogium,</i>	
<i>sed error, nisi intelligatur et c.</i> nu. 53.	73
<i>Honor iam quæsus, cur magna cura conseruandus.</i>	
<i>numero 74.</i>	106
<i>Honor quid?</i> nu. 48.	73

### I

<i>Infidelium actus non omnes mali.</i> nu. 15.	28
<i>Intellectus dicti quotidiani Gregorij de Laudis re-</i>	
<i>quisitione.</i> nu. 65.	98
<i>Intellectus illius Pauli, Qui gloriatur in Domino glo-</i>	
<i>rietur, &amp;c.</i> nu. 44.	72
<i>Intellectus l. Codicillis. §. Matre ff. de leg. 2. n. 52.</i> 73	
<i>Intellectus l. l. si quidem ff. Quod met. cau.</i> nu. 51.	73
<i>Intellectus quorundam Domini dictorum, &amp; aliorum</i>	
<i>doctorum.</i> nu. 69.	106
<i>Intentio est actus uoluntatis &amp; qualis.</i> nu. 2.	12
<i>Iustitie non contrait, uolens quod suum non est, si non</i>	
<i>est alienum.</i> nu. 63.	98

### L

<i>Laudem uel gloriam ob humanam facere princi-</i>	
<i>paliter, quod institutum est principaliter ad</i>	
<i>gloriam Dei, non est mortale contra Ang.</i> nu-	
<i>mero 64.</i>	98
<i>Laudis &amp; gloriae benè &amp; male appetitæ, quinq; ex-</i>	
<i>empla quotidiana.</i> nu. 66.	98
<i>Laudis, gloriae, uel honoris, de excellentia, qua quis</i>	
<i>caret, appetitus, non est mortalis contra Abulen.</i>	
<i>nu. 63.</i>	98

I N D E X.

- L**aureæ honoris litterarie tres. Baccalaureatus,  
Licentiatus, & Doctoratus.nu. 45. 72  
**L**aus etiam sine sermone litteris sacris & canonicis,  
numero 47. 73  
**L**aus non solum uirtuti sed etiam alijs bonis debili.  
numero 47. 73  
**L**aus quid: & in quo ab honore differat.nu. 47. 73  
**L**egibus aliquot cur renunciari potest, licet principa.  
lius publicam utilitatem, quam priuatam respiciat.  
numero 29. 45  
**L**ex iusta principalius fit ob utilitatē publicam, quam  
priuatam. 27. 45

M

- M**Ediorum in finem relatio fit uno aflu, quando.  
que pluribus, inter que plurimum distat.nu.  
mero 17. 28  
**M**utuans, iustè sperat lucrum minus principaliter.nu.  
mero 39. 62

O

- O**Ciosum omne liberatum, quale est, quod fine  
careat malum, & ideo nullus actus in indi.  
uiduo indifferens.n. 58. 88

P

- P**Atrem magis tenetur diligere filius, quam pater  
filium.nu. 52. 73  
**P**eccurt non habitu, sed actu cum exemplo quotidie.  
no.nu. 23. 28  
**P**œnas qui statuunt, & qui ob eas obediunt, ut peccati.  
numero 40. 62  
**P**redicanti ob gloriam humanam, non queritur lau.  
reola doctoralis.nu. 44. 72

Premis

I N D E X.

Premia qui statuunt, & qui ea querunt ut peccant.  
numero 41. 62

R

**R**eferre in Deum nos, omniaq; nostra, actu uel  
virtute utile, sed non semper necessarium.n.  
16. 28

Referendi nos & nostra Deo, modus utilis.nu.19. 28

Referriri posse omnia que non sunt peccata in Deum.  
numero 15. 28

Regula illa, cuius finis malus est, &c. sine ulla exce-  
ptione uera.nu.30. 54

Relatio duplex: actualis & virtualis, que diffinitur  
exactè.nu.18. 28

Restitutio bonorum pecuniariorum excusatur si fieri  
non potest absque amissione honorariorum. nu-  
mero 45. 72

Reuerentia quid:nu.49. 73

S

**S**cire ut scias tantum, si, & quando peccatum.nu-  
mero 24. 29

T

**T**imore Deo seruientium, qui bene, & qui ma-  
le merentur.nu.42. 62

Timorem que non compatitur charitas.n.42. 62

Timor seruilis qui bonus, & qui malus.n.40. 62

V

**V**erbum, propter, quatuor causas significat, effi-  
cientem, finalem, &c.n.3. 12

Vitam honori & glorie, & virtutem virtuti præfe-  
rendam.nu.53. 73

F I N I S.





*(De significatiōnib⁹  
Lūnae).*

Cum Lūna est in Ariete, homin⁹  
est, minime sanguinem de  
brachio, et balneum intrare.  
et iter incipere, et omne me-  
gotium facere. Medicinam  
aliquam capiti facere, non  
est bonum.

In Taurō, optimum est funda-  
menta facere, sive toruum  
sive terrarum; et intrare  
torum ad Habitandum, et  
incipere iter cūssa negotia-  
tionis, plantare arbores,  
et oīa opera signorum facere,  
medicinam accipere, sangu-  
inem minime, uxorem  
ducere, et despousare.

In Gemini, non est bonum ministrare sanguinem de brachio, nec in brachio facere aliquam medicinam, nec incipere iter, ad amicum ire, nec societatem copulat, nec velim erigere.

In Cancer, bonum est accipere medicinam, incipere iter causa negotiationis, hominem intrare nonam, vestimenta emere.

In Leone bonum est loqui Regibus et principibus, et incipere iter causa belli, et mittere galas in dorsum, et omnes aurum, et res auri coloris. Sed non est bonum accipere medicinam.

In Virgine bonum est arare et seminare, et dia opera resistire.

facere, & terram & animalia  
emere, & aedificia facere.

In Libra bonum est tractare  
opera óia, q̄ pertinet ad  
ferias & matrimonia, bo-  
num est consilium, et delibe-  
rare óia, q̄ pertinet ad  
aliquam prudentialiam.

In Scorpione nihil est bonum ni-  
cipere: nam tunc óia nifor-  
tunata sunt, et Valde ti-  
mentum est de itinere.

In Sagittario bonum est iter facere,  
argentum emere vel vender,  
et óia opera festinanter agere,  
saugnium ministrare, mili-  
cinae accipere, & in cipere  
iter causa negotiorum.

In Capricorno bonum est Veras,  
et uncipati, et ora operae  
ruficilia facere, rorres curvare  
frumentum. Gerabimur, fabes  
et iter incipere, et eam emere.

In Aquario bonum est ullero  
natus, iter per ~~mar~~ incipere,  
velutum in altum trahere, et  
subtiliter angustiorum facere,  
sicut est seta, ut serice.

In pisces bonum est accipere  
medicinam et tractare it  
quis, q̄ pertinet ad pacem.





